



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **De Sacramentis, Mille Sexcenti Errores, Vaniloqvia, Et Cavillationes**

**Miletus, Vitus**

**Mogvntiae, 1593**

**VD16 M 5205**

De Missa.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-30094**

## Millesexcenti Errores,

*Epist. ad Mi-  
abael. cap. 5. 24* vsum azymorum, cum ante ipsum vniuersa fermentato vsa fue-  
rit Ecclesia. *Caluin. lib. 4. Instit. cap. 17. §. 43.* Sed nullum asser-  
tionis suæ testem adducit, cum Leo IX. scribat, Ecclesiam La-  
tinam vsum azymorum, ab ipso accepisse Petro Apostolo.

1065. Parum referre, siue azymo vtamur, siue fermentato,  
sicut parum refert albone vtamur vino, an rubro. *Caluin. loc. cit.*  
Quasi parum referat facere, quod Christus fecit, & Ecclesia tra-  
dit? Itaque illud si liceat, ordinem tamen & vsus Ecclesiæ con-  
fundere vnicuique non licet.

1066. Vt pane azymo, esse Iudaizare. Cum (vt paulò ante)  
parum referre doceat, azymo ne vtamur an fermentato?

1067. Eucharistiam non esse distribuendam, nec recipien-  
dam in Missa, cum in ea potius crucifigatur, quàm manducetur  
Christus. Quasi maius sit piaculum Christum Deo Patri viuum  
& incruentum, cum prece & gratiarum actione offerre, quàm e-  
undem comedere & bibere? De Missa autem statim. *Cetera de  
Cæremoniis Eucharistiæ studio prætereo.*

---

## DE MISSA.

*Ex Kemn. in 2o  
part. Examin. d  
pag. 162. usque  
ad 205.*

1068. **T**OT abominationibus & prophanis opinio-  
nibus Missam scaterè Pontificiam, vt omnium pio-  
rum querelis deploretur. *Kemnitius pag. 188.* At oble-  
cro, qui illi pij? An vlli vnquam in Ecclesia orthodoxi? vlli The-  
ologi? vlli vbiuis terrarum Christiani? Imperatores? reges? prin-  
cipes? Maiores pientissimi, in ea quicquam desiderarunt? Hære-  
tici multa, nulli veri Christiani in ea reprehenderunt, vel deplo-  
rarunt quicquam.

1069. Non pauca etiam ab ipsis in Missa desiderari Ponti-  
ficiis, quæ ex Dei verbo sint reformanda. *Kem. pag. 165.* Miror  
qui illi Pontificij? quod illud verbum Dei? Cum omnes vndique  
in plenariis hætenus congregati Patres Conciliis, post longam  
diligen-

diligentissimamq; scripturarum & traditionum examinationem, quæ reformanda erant, reformarint?

1070. Adeò teneram & delicatam esse Missam Pontificiam, ut ferre omninò non possit, si quis etiam leuiter & mollissimè, crassissimos eius errores & abominationes mitigare velit. Quasi mitigatio horum aliud sit, quàm totius Missæ prophanatio & abrogatio? An Concilia plenaria, quid mitigandum esset, non mitigarunt? An cuiuis pro capto & capite suo, vana scripturam iactatione quod vult, facere, statuere, & reformare licet?

1071. Missam esse inuentum Diabolicum. *Omnes passim.* Cum eandem se auctore Diabolo abrogasse scribat *Luth. in lib. de Miss. priuat. & ordin. Sacerd.* Num idem auctor, & abrogator?

1072. Missam esse fugiendam sicut Diabolum. *Passim omnes. Herbrand. in defens. parui Catechis. Luth. precept. 4.* Cum in abroganda illa, nec ipsum quidem Lutherus fugerit Diabolù? An ideò fugienda, quia Diabolus eam fugit, eaq; fugatur? cuius exempla infinita prostant. *Aug. lib. 22. de Ciuit. cap. 8.*

1073. Missam esse abrogandam. Cum alius id nemo, quàm ipse primus hoc tempore suaserit Diabolus. *Sup. An si abroganda esset, Ecclesia non abrogasset?*

1074. Per summam calumniam Lutheranis à Pontificis obitici, quòd Missam abrogarint, cum eam summa etiam reuerentia celebrent. *Confess. August. art. de Miss.* Surdi sunt ergo Pontificij, cæciq; qui eam apud ipsos nec vident, nec audiunt, eamque, ut ipsum fugiant Diabolum. *Sup. Quàm etiam caput vocant & caudam diaboli. Artic. Smalcald. & alij passim.*

1075. Se Pontificiam duntaxat, non veram abrogasse & abrogare Missam. At quæ illa vera (ficta putà) Missa? cum de alia, nec per somnium quidem orbis vniuersus, totaque Christi Ecclesia quicquam aliquando acceperit?

1076. Cœnam Dominicam veram esse Christi & Christianorum Missam. An ergò idem Cœna, quod Missa? Sacrificium & oblatio, quod Sacramentum & sacrificij consumptio? An vetus Ecclesia, Cœnam Missamq; non celebravit?

Millesexcenti Errores,

1077. Missam Pontificiam non esse aliud, quàm Deum Mahuzim vel Maozin, cuius fit apud Daniel. cap. 11. mentio, ac significare Romanum Pontificem, cuius Arx & propugnaculum Missa fit, tanquam Mahuzin Antichristi. *Kemnit. ab init.* Cum Lutherus in suis Conuiuialib. tit. de Miss. à Maosim velit dictam, quod idem sit, quod comportatio eleemosynæ, ad sustentationem Sacerdotum & pauperum. Sed si ad eò contemptim Missæ vocabulo ludere illis lubet, cur etymologiam eius à vulgari non deducunt vocabulo *Miss*, quod finum significat & sterquilinum, instar enim sterquilinij Missam habent. Et rationem quidem adfingere & adhibere possent, quia vineis adhibetur & agris, vnde vinum prouenit & frumentum, quæ in Missa offeruntur? Vel à *Myntax*, quia mystes Pontificij, mystaces solent abradere, ne quid de Calice mystacibus adhæreat? Aut à *Mastix*, quia thure & mastice vtuntur in Missa? Aut à *Misnia*, Patria vel quasi Lutheri, *Missæ mastigis*? Ex allegato verò loco, verius Lutherum, quàm Pontificem Romanum colligimus, esse Deum illum *Maozim*, cum, vt in eodem legitur Propheta, Rex ille, qui colit Deum Maozin, non sit Rex Romanus, sed Aquilonis, contra quem nominatim rex sit pugnaturus Romanus: Quomodo ergò Rex vel Pontifex Romanus Deum colit Maozin, cum aduersus ipsum Propheta teste, prælietur & pugnet? Denique vocabulum *Maozin*, Arcem significat & propugnaculum, in quo Antichristus occultissimè Diabolum colet, cuius artibus ad eam paulatim euehetur potentiam, vt Deus esse credatur. Cum interim Missa, nec occultè, nec vno in loco, nec vno tempore, sed publico ministerio, semper, & vbiq; ab ortu solis, vsq; ad occasum, omnibus spectantibus, & in ea sacram Eucharistiam sumentibus, semper celebrata fuerit.

1078. Missam idem esse, quod Collectam. *Luth. Tom. 2. contra caelest. Prophet.* Cum alibi Censum & homagium, quod Deo præstatur, significare velit. *Tom. 1. in summ. Christ. vitæ, ex D. Paul. 1. Tim. 1.*

1079. Missam denominari à missione munerum, quæ olim à fidelibus mittebantur, ad usum Cœnæ & refectioem pauperum. *Calvin. libr. 4. Inst. cap. 18. §. 18. Melancton in Apologia de vocabulo Missæ.* Cum nullum prorsus ex antiquitate huius etymologiæ proferant testem vel testimonium: Nec ipsis patrocinetur quicquam, à quocunq; vel quomodocunq; munera illa mittantur, cum ad oblationem mittantur & Missam, ex qua cœna, ipsam petentibus, dispensatur.

1080. Non extare apud veteres vocabulum Missæ. *Kemnit. Cum id ipsum pag. 178. reuocet, nisi quòd alio à Patribus, alio verò usurpari sensu velit à Pontificijs.*

1081. Missam non esse aliud veteribus, quàm Cœnæ Dominicæ publicam actionem: Atqui veteres non sic intellexerunt, qui Missam nobis à veteribus per manus acceptam tradiderunt. Veteres verò distinctionem agnoscere & ponere inter Missam & Cœnam, vel ex his liquet B. Ambrosij verbis: *Ego, Lib. 5. ep. 33. (inquit) in munere meo mansi, Missas facere cœpi, orare in oblatione Deum, ut subueniret. Infr.*

1082. Veteres per Missam aliud non intelligere, quàm cõuentum populi, orationis & communionis, causa. *Kem. pag. 177. Quasi aliam ob causam, etiamnum populus ad Missam conueniat, in qua Pontifex dona & sacrificia offert pro populo, oratq; pro se & populo. Hebr. 5. Veteres verò Missam non solùm Cœnam, quæ in Missa agebatur, vel Communionem, sed etiam sacrificium vocant & oblationem.*

1083. Veteres variè usurpare sacrificij vocabulum, Pontificios verò omnium de sacrificio veterum sententias, promiscuè detorquere ad theatricum sacrificium Pontificiæ Missæ. *Kemnit. pag. 180. Scilicet histrionicum est Kemnitio, quicquid suis non est commentis consentaneum, quomodo autem veteribus non est consentaneum, cum ab ipsis veteribus per manus sit acceptum & traditum?*

1084. Veteres, per sacrificij vocabulum spirituale cordium intelligere Sacrificium, iuxta illud: *Sacrificium DEO Spiritus*

Psal. 50. 46.  
106.

*Spiritus contribulatus, Cor contritum & humiliatum: Sacrificium laudis honorificabit me.* An non idem Pontificij? an solum illa? An spirituale sacrificium idem spirituale, vt discernatur ab externo corporali?

1085. Veteres vniuersos, si rectè legantur, non loqui, nec quicquam tradere de sacrificio Pontificio. *Kem. pag. 182.* Quæ vanitas? Cum paulò post multorum Patrum allegatis pro assertionem sua testimoniis, seipsum mendacij arguens scribat, *Se libere fateri, Missam Pontificiam, ex veterum promanasse sententiis, quas a quum non sit, sacris præferre scripturis, has enim, non hominum sententias, pro norma & regula veritatis esse habendas.* Atque hunc fucum & fumum, perpetuò oculis & auribus simplicium offundunt, vt Patres, omnesq; veteres à partibus stare suis, ac Pontificios falsò & impudenter de antiquitatis testimonio gloriari, clamitent, cum, si Patres in medium proferantur, omnes ad vnum errare vltro fateantur. Atq; id est (si veritatem spectes) Patres cum ipsis sentire, in omnibus Patres ab ipsis dissentire.

1086. Veteres, per Sacrificium, intelligere actionem Cœnæ, vel oblationem populi, qui dona consecranda ad altare antiquitus offerre consueuerat. *Kemnit. Cum pag. 182.* vltro fateatur, Sacrificium significare actionem, qua nos aliquid Deo damus, In actione verò Cœnæ, nihil nos Deo damus, sed à Deo munus suum accipimus, proinde se eandem actionem, non sacrificium aut Oblationem, sed magis & rectius vocare Cœnam.

1087. Missam audire, non esse aliud, quàm Concionem seu prædicationem verbi Dei audire. *Luth. Tom. 1. in 2. cap. Galat.* Cum alibi scribat, Non esse aliud sacrificium noui Testamenti, quàm, Gloria Patri & filio & Spiritui sancto. *Tom. 3. in Psal. 5.* Et alibi, non esse aliud sacrificium, quàm vniuscuiusque corpus. *Tom. 7. de vocat. Ministrorum.*

1089. Concilium Trident. contra Lombardum & totius antiquitatis declarationem, Missam appellare proprium sacrificium, cum alij signum appellent veri & proprii sacrificij. *Kem. pag. 182.* Cauillatio: Idem enim, respectu diuerso, & proprium dicitur,

dicitur, & improprium, seu signum: Impropiū quidem, quia rememorative sacrificij cruenti in Cruce peracti: propriū verò, quia idem ipsum, & non aliud corpus in eo, in cruento modo offertur.

1090. Veteres, quando utuntur vocabulo sacrificij, non intelligere actionem illam Pōtificiam histrionicam gestuum, rituum, vestium, &c. *Kemnit. pag. 177.* Cum ea ipsa, non nisi à veteribus sint tradita: quin in ipsis aduersariorum Missis fomicis, plarāq; seruentur vt adiphora.

1091. Verum Sacrificium, esse omne opus bonum, seu virtutis, quo Deum honore aliquo afficimus. *Philip. in Apolog. de Miss.* Verum, sed non totius populi & Ecclesiæ externum: Et gentes quidem tamen si omni virtutum genere excellerent, natura tamen duce, externa quoque sacrificia Deo decernebant: Nec obscura eorum in Scripturis est distinctio, Sic enim in Osea legimus, cap. 2. *Misericordiam volo, & non Sacrificium.* Et alibi: *1. Reg. 15. Meliore est obedientia, quàm victima.* Item, *Si sacrificium voluisses, Psal. 50. dedissem vtiq; sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum, Tunc acceptabis Sacrificium iustitiæ & oblationis, tunc imponent super altare tuum vitulos, vbi distinctio est manifesta inter sacrificium cordis vel operis, & externum, quod tamen sine interno Deo non placet, aut potius homini non prodest.*

1092. Non esse Sacrificium Deo gratius, quàm si quis Lutheranus, propter Confessionem Augustanam, iacturam qualemcunq; bonorum, vel etiam vitæ patiatur. *Omnes passim.* Cum ipsa Deo non placeat Augustana Confessio, neq; enim alia placeat, aut placere potest, quàm Catholica, *Quicumq; enim (ait Symbolum) vult saluus esse, ante omnia opus est, vt teneat Catholicam fidem, quam nisi quisq; integram inuolatamq; seruauerit, absq; dubio in æternum peribit.*

1093. Manifesto falsum esse, Confessionem Augustanam, non esse Catholicam, quin potius Pontificiorum esse Cacolicā, At si Catholica est, quomodo Augustana est? Quomodo certum habet originis suæ diem? mensē? locum? consulem? quomodo

KK

nec

## Millesexcenti Errores,

nec Maiorum traditione, nec publica & nunquam interrupta verbi & ministerij prædicatione, aut successione, nulla Conciliorum vel Patrum approbatione ad nos peruenit? Quomodo omnibus per orbem Christianis, & Catholicis Statibus, tunc cum Augustæ exhiberetur, prorsus ignota & incognita fuit? An quod Catholicum est apud omnes, ignotum est apud omnes? Quod si aliam vocis comminisci velis significationem, prohibere quis potest? *Quælibet tamen quisq, ansas & vncos* (inquit Aug.) *aduersus simplicitatem veritatis intexat, quælibet nebulas callidæ falsitatis offundat, sicut anathema est, qui annunciauerit Christum neq, passum esse, neque tertia die resurrexisse, sic anathema est, quisquis annunciauerit Ecclesiam (Catholicam) præter Communionem omnium gentium.* Si ergo communi gentium, latere potest communionem gentium, etiam Ecclesia latere poterit Catholica. Augustana ergo Confessio, quæ vsque ad sui originem & exhibitionem, omnes latuit gentes, Catholica esse non potest. Alibi.

1094. Statum quæstionis inter Pontificios & Lutheranos de Missæ Sacrificio hunc esse, *Vtrum Christus instituerit mimicam illam & histrionicam actionem, gestuum, rituum, vestium, verborum, caeremoniarum, &c.* Kemnit. pag. 169. Errat: Neque enim in gestibus vel ritibus, sed in ipsa corporis oblatione, sacrificij essentiam collocant. Status autem hic est, *An idem Corpus, quod offertur ad manducandum populo, etiam offeratur pro populo, dicente Apostolo, Hebr. 5. Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur, vt dona & Sacrificia offerat pro populo:* aliud autem (ni fallor) est, offerre quippiam populo, aliud offerre Deo pro populo.

1095. Missam Pontificiam, non esse aliud, quàm mimicam gestulationem, histrionicam actionem & theatricam superstitionem. *Kemnitius & omnes passim.* Cum iisdem prope modum caeremoniis, ritibus, gestibus, & vestibus, suis ipsi in Missis vtantur Simicis, vt adiaphoris, Veruntamen quæro, *a* Num genua flectere, *b* manus ad DEVM leuare, *c* corpus ante Christi corpus inclinare, *d* oculos in oratione ad cælum

*Epist. 48. ad  
Vincent. Rogat.*

*a Philip. 2.  
b Psal. 60. 140  
c Matth. 2.  
d Psal. 120.*

caelum attollere, e pectus manu tundere, f demissa vel submissa voce orare, g in faciem procumbere, h Deum quouis humilitatis signo venerari, & similia, quæ in Misis cernuntur Pontificiis, mimica sint? histrionica? theatrica? supersticiosa? An vlli mimi, histriones, superstitiosi, ethnici & heretici similia factitant? Et tamen sic loqui, minimè erubescunt?

e *Luco 18:*  
f *1. Reg. 1.*  
g *Matth. 26.*  
h *Eccl. 3, 7, 13.*  
*Iacob. 4.*  
*1. Petro 5.*

1096. Quamuis natura ipsa dictet, Sacrificium aliquod extare debere externum, non tamen quid natura, sed quid auctor dictet naturæ, esse attendendum. *Kemnit. pag. 170.* Quasi, quod ipsa dictat ratio & natura, non ipse dictet auctor naturæ? dicente Propheta, *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine, dedisti latitiam in corde meo. Psal. 4.*

1097. Dictamen illud rationis, non à recta, sed à corrupta & deprauata provenire natura. Sacrificium ergò Abel, Noë, Abraham, Melchisedech, & similibus, à deprauata processerunt natura? atqui Deo placuerunt, & placuissent omnia reliquarum gentium, si in eum, quem debebant finem & Deum relata fuissent. Et quidem à corrupta aiunt provenire natura, cum omnes, qui recta hactenus vsi sunt ratione, rectæ consentaneum esse rationi iudicarent.

*Genes. 4, 8, 14.*

1098. Ad verum Sacrificium non necessariò requiri rem quampiam externam, quæ Deo offeratur. Cum Apostolus discretis scribat verbis, *Omnes Sacerdotes habere debere dona & munera, quæ offerat pro populo.* Nec vel ipso dante *Kemnitio*, sacrificium aliud est vel significat, quam actionem, qua nos aliquid damus & offerimus Deo.

1099. Apostolum, quando ait, *Omnes Pontifices debere habere dona & Sacrificia, quæ offerat pro populo*, de Leuiticis loqui Sacerdotibus & sacrificiis. *Kemnit.* Atqui Paulus non Leuiticum solum, sed omnem Sacerdotem, ait habere, debere, quòd sacrificet pro populo, nec solum sacrificare & offerre, sed etiam orare pro populo. An solus Sacerdos Leuiticus debet orare?

1100. Id omne rectè ac propriè dici Sacrificium, quod Deo

Millesexcenti Errores,

Deo quoquo modo offertur, ita quod idem sint sonentq; , Sacrificium & oblatio, sacrificare & offerre. At longè generalius est offerendi, quàm sacrificandi vocabulum; multa enim offeruntur, quæ non sacrificantur; oves enim & boues offerebantur, vt sacrificarentur, sed & munera offeruntur ad altare, in quo sacrificatur. Psal. 50. Matth. 5.

1101. Decimas in veteri Testamento, vera & propria fuisse Sacrificia. Cum nusquam inter sacrificia numerentur, nec Deo, sed Sacerdotibus offerebantur. Leuit. 18. Hebr. 7.

1102. Sacrificium ex sententia Augustini, aliud non esse, quàm opus bonum, quod agitur, vt sancta societate in hæreamus Deo, quam quidem definitionem Kemnitius vlnis obuiis amplectitur, Cum tamen nullis omninò Sacrificiis in veteri lege, à Deo institutis conueniat: Sed demus, Ipsa sanè Missa tale opus, taleq; sacrificium est, quo populus sancta societate coalescit, & pro redemptione sua gratias agit.

1103. Homines Christianos, cum sint spirituales, nullo indigere Sacrificio externo. Cum gens nulla tam fuerit aliquando barbara, quæ, si quem Deum coluit, eidem sacrificium non obtulerit. Eademq; ratione probarent Christianos, nec Sacramentis quidem indigere externis.

1104. Christum non obtulisse vllum Sacrificium externū. Mirum: Cum tamen fuerit Sacerdos & Pontifex, *Omnis autem Pontifex, teste Apostolo, habere debet dona & sacrificia, quæ offerat.* Hebr. 5. 7.

1105. Christum non obtulisse aliud sacrificium, quàm seipsum in Cruce: Verum hoc secundum ordinem Aaron in sanguine, non secundum ord. Melchisedech sub panis & vini specie.

1106. Christum nullum obtulisse sacrificium, secundum ordinem Melchisedech. At si Sacerdos est secundum ordinem Melchisedech, sacrificium quoq; obtulerit, & habeat secundum ordinem Melchisedech, necesse est; omnis quippe Sacerdos, eo ipso quia Sacerdos, sacrificium habere debet, quod offerat. Hebr. 5. 7.

1107. Christum impleuisse Sacrificium secundum ordinem Melchisedech in Cruce, in quo sacrificio sanguinis consumauit omnia

omnia sacrificiareliqua. Atqui sacrificium secundum ordinem Melchisedech, non est in sanguine, sed in panis & vini specie, Genes. 14.

1108. Fabulam esse de sacrificio Melchisedech, cum nullū obtulerit. *Luth. in Psal. 110. Tom. 3.* Atqui scriptura tradit, panem & vinū obtulisse. Nec id negat alibi *Luth. Tom. 8. in Ps. 110.*

1109. Melchisedech non obtulisse, sed protulisse duntaxat panem & vinum. *Luth. cit.* Quasi, quod offertur, non etiam proferatur? aut sacerdotum proferre, aliud sit, quàm offerre? *Act. 5. 7.*

1110. Melchisedech non obtulisse panem & vinum in oblationem, sed tantum in refectionem Abrahamæ & sociorum eius. *Luth. cit.* At scriptura tradit panem & vinum obtulisse, quia sacerdos erat Dei altissimi, cuius proprium est offerre, ut sapè.

1111. Melchisedech obtulisse panem & vinum, non quia Sacerdos, sed quia rex Salem. Atqui scriptura contrarium testatur, *Supr.*

1112. Melchisedech vocari Sacerdotem, non quia panem & vinum obtulit, sed quia Abrahamæ benedixit. *Luth. loc. cit.* At hanc non esse rationem, ex eo liquet, quod non minus Abrahamā, quàm ipse fuerit Sacerdos Melchisedech. Et Salomon populo benedixit, cum tamen sacerdos non esset. Nec Apostolus ex eo colligit, Sacerdotem fuisse, quia benedixit Abrahamæ, sed Maiorem; *Minor enim (inquit) à maiori benedicitur. Hebr. 7.*

1113. Sacrificium panis & vini, non tam esse secundum ordinem Melchisedech, quàm Aaron, cum etiam in veteri Testamento, panis & vinum quotidie offerrentur. *Exod. 29.* At hoc non infirmat, sed confirmat sacrificium quotidianum panis & vini, Christus verò Sacerdos est in æternum, secundum ordinem Melchisedech, non secundum ordinem Aaron. *Hebr. 7.*

1114. Melchisedech nec verum Sacrificium typicum obtulisse, nec in locum sacrificij eius, sacrificium Missæ successisse.

In contraria sententia omnes sunt scripturarum interpretes & Patres. Vnde Hieronymus, *Recurre ad Genesim & Melchisedech Regem Salem, huius principem civitatis inuenies, qui iam tunc in typo*

Genes. 14.

3 Reg. 8.

Epist. ad Marc. c. 11.

## Millesexcenti Errores,

*Christi panem & vinum obtulit, & mysterium Christianorum in Christi sanguine & corpore dedicauit. Et Cypria. Dominus noster Iesus Christus, sacrificium Deo patri obtulit, hoc idem quod Melchisedech obtulerat.*  
*Lib. 2. epist. 3.*  
*Lib. 1. cont. ad. uers. leg. & Pro- pbet. cap. 20.*  
*Epist. 95. ad In nocent. Papam.*  
*Et August. Nouerunt qui legunt, quid protulerit Melchisedech, quando benedixit Abraham, & iam sunt participes eius, vident tale nunc sacrificium offerri Deo, toto orbe terrarum. Et alibi. Melchisedech prolato Sacramento mensæ Dominica, nouit æternum eius (Christi) Sacerdotium figurare. Prætereo alios.*

115. Melchisedech obtulisse panem & vinum, non spectrū vel speciem panis & vini. Ratio est, quia panem & vinum sine substantia obtulit corporis & sanguinis eius, quem figurabat & representabat.

116. Christum semel tantum esse oblatum in cruce, Heb. 9. Cruento sacrificio in suo sanguine, incruento verò modo etiam oblatum fuit in templo & altari. Luc. 2.

117. Christum semel se obtulisse, necesse non habere, ut sæpius sese offerat, Hebr. 9. Cum ut eod. dicitur loco, quotidie ad huc sese offerat pro nobis in Cælo: An à seipso offerri potest in cælo, ab aliis offerri non potest in templo sancto suo? num seipsum offerendo in Cælo, seipsum crucifigit in cælo?

117. Christum suo in cruce sacrificio pro omnibus peccatis nostris satisfecisse, non opus esse sæpius eum offerri pro peccatis. Quorsum ergò quotidie sese offert pro nobis in cælo? An etiam semel dedit Corpus & sanguinem suum in remissionem peccatorum nostrorum? & tamen quotidie corpus eius & sanguinem sumimus in remissionem peccatorum?

118. Æternum Christi sacerdotium, non opus habere, Sacrificio quocunq; temporali. At si æternum, omni ergò tempore habeat necesse est; quomodo enim alioquin æternum?

119. Christum esse, diciq; Sacerdotem in æternum, nō quòd sacrificium habeat in æternum, sed quòd uiuat in eternū, Heb. 9. At hac ratione, non magis esset Sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech, quàm secundum ordinem Aaron.

120. Christum esse Sacerdotem in æternum, non quòd offeratur

offeratur in terris, sed quòd seipsum perpetuò offerat in cœlis. At mirum, placere patri, si seipsum offerat, non autem placere, si ab iisdem offeratur, pro quibus ipse sese quotidie offert? an filius displicet Patri, à quocunq; offeratur patri? aut displicent offerentes purissimam Deo hostiam, panē sanctificationis. Ezech. 4. 4.

1121. Christi sacerdotium & sacrificium de terra translatum esse in cœlum. *Caluin. lib. 4. Instit. cap. 18. §. 2.* At si sacerdotium eius translatum est de terra in cœlum, lex ergo quoq; translata sit necesse erit, *translato enim sacerdotio (inquit Paulus) necesse est & legem transferri.* Et quidem si sacrificium & sacerdotium Christi, secundum ordinem Melchisedech translatum est in cœlum, sacrificium ergò panis & vini, secundum ordinem Melchisedech erit in cœlis? Et si in cœlis est, in terra quomodo esse nequit?

1122. Christum perpetuū esse diciq; Sacerdotem, eò quòd in perpetuum saluare potest, Hebr. 9. At hoc Saluatorem, non probat esse Sacerdotem.

1123. Christum dici Sacerdotem in æternū, quia benedicit & sanctificat suos in æternum. Atqui non dicitur Sacerdos in æternum, sed Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech, qui non solum benedixit Abraham, sed etiam panem obtulit & vinum. Gen. 14. Sed neq; Sacerdos à sanctificando dicitur, sed à sacrificando, Hebr. 5. 7.

1124. In institutione cœnæ, Christum nullum celebrasse sacrificium, sed tantum semetipsum præbuisse in cibum & potū. *Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22.* Cum scriptura teste, fecerit Pascha, quod non solum immolabatur, sed etiam manducabatur, & quidem prius immolabatur, quàm manducabatur. Vnde Chrysoft, *In ipsa (inquit) mensa, utrumq; Pascha impletum est, typi & veritatis.* *In homil. de prodit. Iudæ.*

1125. Christum non immolasse Pascha suum more Papistico & histrionico: At immolasse sufficit: de modo immolationis questio hoc loco nulla.

1126. Christum in vltima Cœna non instituisse sacrificiū, sed Sacramentū. Cum (si nomen spectes) nec sacrificium, nec legatur instituisse Sacramentū, utrumq; tamen ex rebus ipsis & ex scripturarum colligitur interpretibus.

Millesexcenti Errores,

Exod. 24.  
Hebr. 9.

1127. Christum in Coena instituisse Testamentum, non sacrificium, ait enim, *Hic calix nouum testamentum*. Cum celebratio & dedicatio veteris testamenti, non sine solenni sacrificio & sanguinis effusione, in figura præcesserit, his verbis, *Hic est sanguis testamenti, quod mandauit ad vos Deus*, quæ quidem verba idcirco Christus reperit, vt indicaret, se figuram veteris testamenti nouo suo testamento, per sacrificium corporis & sanguinis sui dicato, implere.

1128. Christum dedicasse Testamentum suum sacrificio sanguinis sui in Cruce profusi. Atqui hinc sequetur, Testamentum in Coena (vt volunt) institutum, nondum fuisse firmum, nec verum sanguinem (qui nondum effusus erat) in se habuisse; si ergò firmum fuit, sanguis ergò quo dedicatum fuit, more veteris testamenti prius oblatus fuerit, necesse est.

1129. Missam pugnare cum perpetuo sacrificio Christi, cum nemo possit offerre Christum, nisi ipse, qui perpetuus Sacerdos est Christus. *Kenn, pag. 182.* Cum ibidem contra Pontificios contendat, Christum non tantum obtulisse semetipsum, sed etiam fuisse oblatum ad exhauriendum peccata multorum: Et vnde sequitur, seipsum obtulit & offert, ergò non potest à suis offerri ministris? An quoq; non potest offerri ad manducandum, quia seipsum obtulit ad manducandum?

Dan. 8. 12.

1130. Insulse Pontificios Missam suam, ad iuge illud Danielis detorquere sacrificium: Atqui figuratam per illud testantur Patres. Sed neq; aliud rectè intelligi potest.

1131. Per iuge sacrificium, nõ externum, sed internum Prophetam intelligere piorum sacrificium, quod impij sua impietate impediunt & tollunt. Quasi pietas & internum cordis sacrificium, cuiquam per impios, si nolit, auferri queat? Quin hoc ipsum eo tempore, quo iuge illud sacrificium per impios ablatum iri Propheta vaticinatur, notissimum & illustrissimum futurum in electis identidem testatur, & Christus reperit, *Matth. 24.*

1132. Per iuge illud sacrificium, aliud non intelligi, quam puram verbi prædicationem. At fides (inquit scriptura) eiusque prædi-

prædicatio non deficiet, nec omnes inferorum portæ præualebunt aduersus eam, Sacrificium verò illud per impios aufertur: Ac mirum prorsus foret, quo pacto Dei Propheta Ministerium verbi obscuratum & ablatum iri diceret, cum Malachias, aliiq; Prophetæ perpetuum, & apud omnes gentes fore testetur manifestissimum, Malach. 1. Jerem. 3.

Luc. 22.  
Rom. 10.  
Matt. 16.

1133. Iuge illud Sacrificium, ablatum esse per Rom. Pontificem, deprauatione verbi Dei. Sed quis ille Pontifex? quando? ubi? quomodo? quis eum deprauationis eiusmodi vnquam arguit? Num Patres? Num Concilia? Num scriptores historici? Num Theologi? Num Scholastici? minimè: Arius arguit, Nestorius arguit, Manichæus arguit, Pelagius arguit, Calvinus arguit, Lutherus arguit, nullus vnquam orthodoxus arguit Theologus?

1134. Per iuge Sacrificium, nihil minus Prophetam intelligere, quàm histrionicum Pontificiorum sacrificium. Rem ipsam cum cauillari nequeunt, accidentia, ritus & gestus, ad substantiam non pertinentes, cauillantur, qui tamen non nisi ad honorem Dei diriguntur, & eius Sacramenti.

1135. Malachiam, cum scribit, in omni loco offerri Deo oblationem mundam, nihil patrocinari sacrificio Pontificio. Cum tamen Sacrificium aliud nullum, in omni offerri loco, vel oculis videant, & tamen negant? *Aperite (inquit Aug.) oculos tandem aliquando, & videte ab oriente Sole, vsq; ad occidentem, non in vno, sed in omni loco offerri sacrificium Christianorum, non cuiuslibet Deo, sed ei, qui ista prædixit (per Malachiam) Deo Israel.*

Malach. 1.  
In Orat. contr. Iudæos cap. 9.  
Idem lib. 18. de Ciuit. cap. 35.

1136. Malachiam loqui de Sacrificio Crucis, quod in omnem locum, vim suam & efficaciam protendit, & ab omnibus ubiq; Christianis pro sacrificio propiciatorio agnoscitur & colitur. At diuersum (nî fallor) est, in omni loco offerri, & in omni loco agnosci, vel vim suam exercere; Quamuis & illud verum sit, illud ipsum Sacrificium crucis, id est, corpus & sanguinem Christi, vbiuis gentium offerri, agnosci, coli, & vim suam exercere, licet modo oblationis differat.

## Millesexcenti Errores,

1137. Malachiam loqui de sacrificiis Iudaicis. Cum hæc solis Iudææ finibus circumscripta fuerint, Propheta verò, sublati illis omnibus, nouum quoddam sacrificium in vniuerso mundo futurum inter gentes scribit. Vid. Aug. loc. cit.

1138. Malachiam loqui de sacrificiis gentium, quæ vbique Deo Cœli, quomodocunq; noto, offerebantur. Cum ista nec munda fuerint, nec Deo, sed Dæmoniis oblata. 1. Cor. 10. Nec de multis, sed de vno loquatur Propheta.

1139. Malachiam loqui de spirituali sacrificio eleemosynarum. q. d. In omni loco offerri propter Deum verum eleemosynas. Quasi eleemosynarum oblatio aut noua sit, aut omninò munda, aut non æquè grata, si à Iudæo fiat, quàm si à Gentibus fiat, ait enim: *Non suscipiam vltra munus de manu vestra, magnum est enim nomen meum inter gentes, & in omni loco offertur nomini meo oblatio munda.* Num aliquando respuit Deus, à quocunq; recta intentione datam eleemosynam?

1140. Malachiam loqui de sacrificio bonorum operum. At bonum opus, nec nouum, nec omninò mundum est.

1141. Malachiam loqui de sacrificio fidei, q. d. In omni loco in me credent. Cum loquatur de eo ipso sacrificio, quod credentes in omni loco offerent; nisi enim in Deum quis credat, Deo in quem credit, sacrificium offert nullum. Et quidem, si ea fides, quæ in omni loco inter gentes post Christum viguit, sola vera est & munda, aduersariorum ergò fides, quæ antè ipsos nullam fuit inter gentes, vera & munda esse non potest. Quod si dicant latuisse quondam inter gentes, planè obloquuntur Prophetæ, qui veram illam fidem & oblationem non latere, sed in omni loco illustrem fore & manifestam ait inter gentes. Quisquis autem aliam fidem vel oblationem inter gentes, à tempore Apostolorum fingit, præter Pontificiam, is solem sibi fingit, qui nunquam in mundo luxit.

1142. Malachiam loqui de sacrificio verbi & ministerij, Id est, de prædicatione & confessione puræ doctrinæ Euangelij.  
Kem.

*Remnit. pag. 174.* Demus: An non statim euidenterq; sequitur, Ministerium ipsorum, quod non solum non in omni, sed nec in vno quidem ante ipsos loco fuit inter gentes, non illud esse mundum, de quo Propheta vaticinatur? An aliud vnquam verbi ministerium, perpetua sibi inuicem succedentium Ministro- rum & Episcoporum successione & prædicatione, in omni loco inter gentes fuit auditum vel cognitum, præterquam Pontifici- orum? Ad rem verò propius: Nusquam scriptura sacrificium a- liquod, absolute vocat sacrificium, nisi proprie sit sacrificium, cetera omnia cum additione, quemadmodum sacrificium, lau- dis, labiorum, gratiarum actionis, cordis, spiritus, &c. Ita *Psal. 51. 49. 106.* que si proprie Sacrificium non intellexisset Propheta, non di- xisset absolute in omni loco offerri oblationem mundam, sed ob- lationem laudis, vel prædicationis, vel professionis verbi & fi- dei, &c.

1143. Malachiam non loqui de sacrificio Papistico, quod mimis gestulationibus & cæremoniis peragitur sacrificuli. At quorsum inanes calumniæ? quis enim sacrificij ritus & ge- stus, mimicos dixit? quis eosdem dixit sacrificium? an non vt a- diaphoros suis ipsi in prophanis Misis, vbi nondum Caluini- zant, retinent Lutherani? Et quidem ex dictis liquet, nec fingi quidem aliud posse sacrificium nouum & mundum, ac semper, vbiq; & apud omnes gentes, iuxta vaticinium prophetæ rece- ptum & vsitatum, præterquam hoc solum, quod iuxta Danielis vaticinium ex omni loco summouere & tollere conantur ipsi. *Dan. 8. 12.*

1144. Vereres Malachiae verba non intellexisse, de sacrificio Eucharistico. Respondet antiquissimus scriptor Iustinus: *De nostris gentium, quæ in omni loco offeruntur, sacrificiis, hoc est, pane, In Dialog. cum Eucharistia, & poculo similiter Eucharistia, iam tunc locutus Malachias Triph. prædixit, nos quidem glorificare nomen eius, vos autem prophanare. Nec quicquam apud veteres hoc testatus, crebrius, & indubitatus.*

1145. Veteres non paucos, locum illum Malachiae, de spiritali interpretari sacrificio. Quid inde? Num ideo

Millesexcenti Errores,

literalem sensum, & externam oblationem negarunt? An & Pontificij sic interpretantur? Et quidem, si quis omnium Patrum verba dictaq; vt libuerit, explicare voluerit, prohibere quis poterit? ipsos tamen veteres sic minimè intellexisse, ipsorum probat constans & nunquam interrupta successio & traditio.

3. Cor. 10.

1145. Ex illo loco Apostoli, *Non potestis participes fieri mensæ Dñi & Dæmoniorum*, nihil minus probari, quàm sacrificiū Missæ. At si Apostoli valere debet comparatio, sicut de mensis dæmoniorum nihil comedebatur, nisi prius offerretur, ita quoq; de mensa Domini dicendum erit, nihil manducari, nisi prius oblatum: Et Concilia quidem sic intellexisse, non negat Kemnitius, nisi quod suam (vt solet) omnibus præferri velit sententiam Conciliis.

1146. Apostolum per mensam dæmoniorum, non intelligere sacram aliquam mensam, seu altare, in quo offerrent, quæ ederent, sed vulgarem duntaxat & prophanam, in qua post immolationem idolothytorum, ipsa idolothyta, amicis & inuitatis vescenda proponebantur. *Kem. pag. 175.* An ergò & Apostoli post celebrationem mysteriorum, mensam instruebant de reliquiis corporis & sanguinis Domini, quas cum amicis & inuitatis in mensis & hospitiiis absumerent?

1147. Non esse necessarium, vt si Christiani corporis & sanguinis Domini participes fieri debeant, ipsum prius corpus & sanguis in mensa offerantur, sufficere semel oblata fuisse in cruce. At quid obsecro piaculi vel impietatis, si quod populo offertur ad manducandum, ipsi prius Deo Patri, cum laude & gratiarum actione offeratur pro populo? an alius fortè pro populo, alius offertur Deus ipsi populo? maximè, cum (vt sæpè) Apostolus expressè dicat: *Omnem Pontificem debere habere dona & sacrificia, quæ offerat pro populo. Hebr. 5. 7.*

3. Cor. 10.

1148. Populum non manducare sacrificium, sed Sacramentum. Cum Apostolus scribat: *Omnes qui edunt hostias, participes fieri altaris.* Si ergo altaris efficimur participes, hostias ergo de altari edimus; si autem hostias edimus, quomodo sacrificium non habemus & edimus.

1149.

1149. Certum esse, quicquid etiam Pontificij dicant, scribant, iactent, nec Christum, nec Apostolos Missam celebrasse. Atqui Christum Pascha simul & Sacrificium celebrasse Melchisedech, diximus, Et nisi celebrasset, figuram & scripturam Prophetarum non impleuisset, quam tamen implere debuit & implevit. Luc. 24.

De Apostolis  
infra

1150. Nusquam legi, Christum mimicis huiusmodi & histrionicis gestibus & ritibus, cœnam suam celebrasse, quales in Missa cernuntur Pontificia. An ergò iis usus est, quibus ipsi suis in simicis, ut adiphoris vruntur, Lutherani? An de ritibus? & non magis de ipsa Corporis & sanguinis oblatione est quæstio?

1151. Nec seipsum quidem obtulisse Christum, extra Crucem. Cum oblarus fuerit in templo, & seipsum obtulerit, non solum Deo in sacrificium, sed etiam Apostolis in cibum & potum? Nec alibi sacrificium secundum ordinem Melchisedech, in pane & vino impleuerit, vel impleuisse assignari possit, quam in Cœna, in Cruce siquidem non aliud, quam Sacrificium secundum ordinem Aaron, implevit & consummauit. Et sicut sacrificium Melchisedech in pane & vino, sacrificia legis & Aaron in sanguine præcessit, nec per sese propiciatorium, sed Eucharisticum fuit, propter victoriam Abrahæ Patris fidelium, contra reges idololatrias, Sic Christus antequam seipsum immolaret, secundum sanguinem & ordinem Aaron in Cruce, seipsum in Cœna, non in propitiationem & redemptionem, sed gratiarum actionem & manducationem obtulit, ut figuræ res ipsa responderet & tempore.

Gen. 14.

1152. Christum non dixisse in cœna, ut Corpus suum & sanguinem sacrificemus, sed quod ipse fecit, faciamus, ipse autem aliud non fecit, quam gratias egit, fregit, deditq; discipulis suis. Atqui hæc omnia quoq; fiunt in Missa, quæ aliud non est, quam corporis & sanguinis eius cum gratiarum actione oblatio, consecratio, sumptio, distributio. In ipsa verò gratiarum actione & benedictione panis, ipsum, prius quam frangeret & distribueret, eo, quo adhuc sit modo, obtulisse credimus.

Millesexcenti Errores,

1153. Distortè nimis Pontificios, verbum Facere, distor-  
quere ad offerre, quasi idem sit, *Hoc facite*, quod, *offerre*, vel *sacri-*  
*cate*. Atqui Pontificij eam nominis significationem non confin-  
xerunt ipsi, sed ex Canonicis, aliisq; probatis desumunt scripto-  
ribus.

1154. Pontificios ex Virgilio, aliisque vanis & prophanis  
Poëtis, non sacris Prophetis probare, quod *facere*, significet *offerre*,  
ait enim Virg. *Cum faciam vitulã*. At vnde latinorum vocabulo-  
rum significationes, nisi ex latinis petuntur scriptoribus?

1155. Apud Poëtas quidem, non autem apud Prophetas,  
*Facere*, significare *offerre*. Cum apud hos sit vsitatissimum; sicut  
enim poeta dixit, *Cum faciam vitulã*: ita Propheta dixit, *Ego fa-*  
*ciam bouem vnum, vos facite alterum*. 2. Reg. 18. Item, *facietis hircum*  
*pro peccato, duosq; agniculos hostias pacificatorum, cumq; eos eleuauerit*  
*Sacerdos, cum panibus primitiarum coram Domino, cedet in vsum eius*.  
Leuit. 23. Item 24. Num. 4. 6. 14. 28. Ose. 2. 3. Reg. 8.

1156. Christum non fuisse vsum in Coena, latino vocabulo,  
*Facere*, sed hebraico *Asah*, quod non significat offerre, vel sacri-  
ficare. *Caluin. in antith. Parisiens.* Sed nos latini sumus, hæbrei nõ  
sumus, linguarum tamen periti, aiunt *Asah*, propriè significare  
*facere*, & tamen necessariò exponendum esse pro *sacrificare* &  
*offerre*.

1157. Apostolos, nullum sacrificium externum obtulisse.  
Quid est ergò, quod in Actibus eorum legitur, cap. 13. *Mini-*  
*strantibus illis Domino & ieiunantibus, dixit Spiritus sanctus ad eos, se-*  
*gregate mibi Saulum & Barnabam, ad opus, ad quod assumpsi eos*: Sanè  
quidem, quid ministrarint Domino, præter Sacrificium, intel-  
ligi non potest, Sacramenta siquidem non Deo, sed populo mi-  
nistrantur. Sed nec ministerium verbi intelligi rectè potest, cū  
ex illo ministerio ad ministerium verbi fuerint assumpti & se-  
gregati. Et quidem expressè græcus textus habet, *lytourgontou*,  
quod propriè externo quodam ritu publicè sacrificare significat,  
Hinc Erasmus non *ministrantibus*, sed *sacrificantibus*, vertit; sic-  
nim habet, *Cum autem sacrificarent, ieiunarentq; &c.*

1158. Missæ Sacrificium, ex nullis probatis & antiquis probari posse Patribus. Ita Kemnit. qui cum ad id demonstrandum, non pauca ex Patribus adduxisset testimonia, tandem vltro dat & fatetur, negari non posse, pleraq; prouenire à Patribus, tutius tamen esse, Christum sequi & Apostolos, quàm Patres & Scholasticos, Quasi quid Christus & Apostoli fecerint, scripserint & tradiderint, cognôrit Kemnitius, ignorarint Patres & ipsorum Apostolorum discipuli, Dionysius, Ignatius, Abdias, Martialis, Polycarpus, Irenæus, &c. *Sic impij homines (inquit illorû Illyric.) mentiuntur perniciosissimè in re grauissima, & illam sacrosanctam primitiuam Ecclesiam, blasphemè anatbemate feriunt, quis melius nosse potuit, de historia Apostolicarum actionum & scriptorum? Num illa primitiua Ecclesia, quæ id ab ipsis Apostolis, aut eorum discipulis audire potuit, vel ista Synagoga post mille quingentos annos? ô audaciam mentiendi extremam?* Hæc ille de Pontificiis, de ipsis autem rectius Pontificij.

Centur. 3. de mend. Papist. mend. 97.

1159. Patres, quando vtuntur vocabulo sacrificij, in<sup>m</sup>olationis, hostiæ, victimæ, &c. loqui de spiritualibus piarum mentium sacrificiis, eleemosynis, oblationibus populi ad Cœnam, oratione, gratiarum actione, &c. Quomodo ergò passim scribunt, non licere nisi solis sacrificare & offerre Sacerdotibus? atq; aded quod offertur, non esse orationes, vel eleemosynas, sed ipsum, & verum corpus & sanguinem Christi? An solis licet Sacerdotibus, orare? eleemosynas dare? Deum laudare? gratias agere? cætera-que spiritualia opera exercere? Suprà. Vide Tertul. de Veland. Virginibus. Epiphani. hæres. 79. Concil. Nicen. can. 14. Hier. epist. ad Euagrium.

1160. Patres per Sacrificium & Oblationem corporis & sanguinis, non aliud intelligere, quàm ipsam actionem Cœnæ, in qua corp<sup>o</sup> & sanguis, quæ pro nobis Christus sacrificauit in cruce, ore percipiendâ, pponuntur. Atqui Patres nullibi actionē, vocât oblationem, sed expressis aiunt verbis, corpus & sanguinem sacrificari, litari, in<sup>m</sup>olari: Neq; vlla actio, quantumcunq; sacra, dici potest sacrificiū, nisi res aliqua cum solenni ritu, & cōsumptione illius offeratur. Et qdem, si liceat Kem. illo sensu Patres explicare, licebit

Millesexcenti Errores,

1. Cor. 10. licebit & illa Apostoli verba, *Nōne, qui edunt hostias, participes sunt altaris*, sic explicare, vt dicamus, hostias quas comedebant Iudei, non fuisse immolatas, sed tantum de altari distributas, quòd tamen alienum esse à vero constat.

1161. Patres per sacrificium, non aliud intelligere, quàm memoriam, seu commemorationem passionis Dominicæ, vt idè sacrificium dicatur Cœna, quia est signum & commemoratio sacrificij in Cruce peracti. Atqui hac ratione, etiam baptismi actio, sacrificium esset & oblatio corporis & sanguinis Christi, cum & ipsa commemoratio sit mortis & passionis Christi, quàm tamen nec Patres, nec vlli alij sacrificium appellant. Deindè Patres, non solum aiunt in Cœna repræsentari, sed verè offerri sa-

Rom. 6.

Lib. 20. contr. Faust. 18.

crificium corporis & sanguinis Christi. Hinc August. *Christiani iam peracti sacrificij memoriam celebrant, sacrosancta immolatione & participatione corporis Domini, &c.* An distinguit inter manducationem, oblationem, & repræsentationem? Idem 19. de Ciuit. cap. 23.

1162. Patres, Cœnam vocare Sacrificium, quia est Sacramentum. Atqui Sacramentum hoc, non solum distribui & manducari, sed etiam aiunt offerri & sacrificari, quemadmodum & vetus Pascha, non idè sacrificium non erat, quia Sacramentum erat, & manducabatur, quin potius quia sacrificium, idè Sacramentum; non enim prius manducabatur, quàm immolabatur.

1163. Altaria, tam veteris, quàm nouæ Ecclesiæ, non esse, nec vnquam fuisse sacrificij signa & testimonia, vt Pontificij volunt. Quam ergò aliam ob causam ea ipsi demoliuntur, & mensas, nescio quas prophanas, in locum eorum templis intrudunt? An aliquod habent, vel destruxerunt altare, in quo Missæ sacrificium aliquando non fuerit oblatum? Et tamen Altaria, non esse certa Missæ indicia, vulgo persuadent?

1164. Obsequium esse Dei, non sacrilegium, demoliri altaria in quibus Christus offertur: Respondet Opratus Mileuit. *Quid est tam sacrilegum, quàm altaria, in quibus & vos aliquando obtulistis, frangere?* An Lutherus, Calvinus, & similes, in iis ipsis, quæ sacrilego furore destruxerunt altaribus, Missam non fecerunt? Et quid

Lib. 6. contra Parmen.

Et quid aliud Propheta queritur, quàm impios altaria Dei subuertere? 3. Reg. 18.

1165. Christum nullo altari, sed mensa vsus fuisse vulgari in distributione sui corporis & sanguinis. *Caluin. libr. 4. Instit. cap. 18. §. 12.* Cum nec in templo quidē, sed in diuersorio & Cœnaculo strato, Cœnam suam instituerit & celebrauerit, cur ergò vt altaria, non etiam demoliuntur & templa? num desunt diuersoria publica?

1166. Non posse negari, quin veteres in modo actionis Cœnæ peccarint, & Iudaicum sacrificandi ritum magis imitati fuerint, quàm Euangelicum. *Caluin. loc. cit. §. 11.* Sanè scilicet, quid Euangelio Christi sit consentaneum, nescierunt primi illi post sacros Apostolos Euangelij præcones, & martyres sanctissimi?

1167. Veteres, et si obtulerunt panem & vinum in Cœna, nulli tamen obtulisse alteri, quàm Deo & populo manducatorio. Atqui Deo soli, nulli offertur sacrificium homini: Non autem populo solum manducandum, sed etiam pro populo, atque adeò pro viuis & mortuis, aliisque necessitatibus fuisse oblatum constat. Vnde Chrysost. *Altari assistens Sacerdos, pro terrarum orbe, pro Episcopis, pro Ecclesia, pro gubernatoribus Ecclesiarum, pro sanis, infirmis & mortuis iubetur offerre, &c.* Homil. 70. ad popul. Antioch. 72. & 21. in Act. lib. 6. de Sacerdot. Aug. libr. 9. Confess. cap. 12. Libr. 22. de Ciuit. cap. 8.

1168. Veram religionem, non indigere sacrificio externo. Cum Apostolus scribat, Heb. 7. translato Sacerdotio, etià transferri legem: Nec (vt supr.) vlla gens tam fuerit barbara vnquam, quæ, si Deum aliquem, vel religionem coleret, sacrificium quoque ei decerneret.

1169. Horrendum esse, Christum sacrificare, atque eam ob causam Iudæos à Deo esse reprobatos, quod vnigenitum Dei filium sacrificauerint. Quasi maius sit piaculum, Christum patri offerre, quàm Christum manducare? An etiam horrendum facinus, Christi parentes comiserunt, quando eum in templo stauerunt & obtulerunt? Luc. 2. An sacrilegus ipse, qui seipsum

M M

quotidiè

Millesexcenti Errores,

quotidiè pro nobis offert in cœlo Christus? Sacrificare ergò Christum more Iudæorum, secundum ordinem Aaron in sanguine, scelus est: Sacrificare verò secundum ordinem Melchisedech, sub specie panis & vini, non modò piaculum nullum est, sed institutionem, exemplum & mandatum habet, ab ipso, qui totus & integer offertur & manducatur Christo.

1170. Missam, Inuentum & commentum esse nouum. Cum ipse fateatur Kemnitius, antè annos mille, tempore Gregorij fuisse absolutam, Et omnes propemodum illius partes, ex antiquissimis quibusuis demonstrantur scriptoribus & lyturgiis?

1171. Missam esse manifestam & indubitam idololatriam. Si ipsis credimus: sin autem aliis, atque adedò omnibus qui unquam extiterunt per orbem Christianis, Conciliis, Patribus & Theologis, non idololatria, sed latria est. Et quidem, si Missa idololatria esset, negari prorsus non posset, per Euangelium Christi, idololatriam non modò non fuisse sublatam vel dimiutam, sed maximè auctam, cum cõstet vna cum fide, ipsam quoq; ab omnibus Christianis populis receptam fuisse Missam, quod quidem qui negat, solem negat & lucem.

In Deliberat.  
Theolog. V. V. ita  
senberg.

3. Dialog.

1172. Missam esse abrogandam, quamuis totius opponatur sensus & consensus orbis. *Luth. de Capt. Babyl. cap. 1.* Cum alibi scribat, Diabolicum esse prorsus contemptum & præsumptionem, contrà totam pugnare Ecclesiam: Et eos, qui contra omnium pugnât rationem, Philippus Centauros appeller: Kemnitius verò bonarum esse mentium, moueri sensu & consensu Patrum & antiquitatis: An ergò vel ipsius Kemnitij calculo, vir bonus & pius, & non magis Centaurus est Lutherus? vel quisquis alius, contrà sensum & consensum omnium pugnans, a duersarius?

1173. Pontificios insigni contumelia afficere Christum unicum & perpetuum Sacerdotem, nullo sacrificio indigentem, multos in locum eius substituendo sacrificulos. *Caluin. Kemnit.* Insigni scilicet agitantur stultitia, qui de hac somniant contumelia: An ided, quia vnus est Magister & Dominus omnium Christus, nulli alij sunt, vel esse debent Magistri vel Ministri? Sicut

Maub. 23.

Sicut ergò magisterium vel ministerium multorum, non derogat vnico & perpetuo magisterio Christi, ita neq; sacerdotiũ, vel sacrificium, quin magis ipsum manifestat, commendat & illustrat.

1174. Sacrilgium esse, offerre Christum in terris, cum seipsum quotidie pro nobis offerat in cœlis. At obsecro, quid magis decedit Christo, si cum laude & gratiarum actione à nobis, quàm si à seipso quotidie offeratur pro nobis? an neq; interpellandus est à nobis, quia ipse interpellat pro nobis? An oppositum rectius inferimus? ideò rectè interpellari & offerri à nobis, quia seipsum quotidie offert, & interpellat pro nobis.

1175. Per Missæ sacrificium eneruari vim & efficaciam sacrificij crucis, cum vis illi tribui possit nulla, quin huic derogetur. *Caluin. Kemnit. Vaniloquium*: An enim nec Baptismo, nec Cœnæ, nec Fidei, nec aliis mediis, vis vlla tribui potest, quin illi derogetur?

1175. Vim sacrificij Crucis esse infinitam, quare nullam esse posse sacrificij Missæ: An ergò nec Baptismi? nec Cœnæ?

1176. Christum non esse sacrificium, sed redemptorem hominum: An ergo nostrum non est pascha? quod vtiq; secundum legem offertur prius quàm manducatur? An seipsum sacrificando, nos non redemit? An Sacerdos non est secundum ordinem Melchisedech? An sacerdos sine sacrificio? An monstrum Sacerdos sine sacrificio, quod offerat pro se & populo? Heb. 5. 7.

1177. Christum omnia in cruce consummasse sacrificia. Preter illud, secundum cuius ordinem Sacerdos est in æternũ. Sup.

1178. Missam non posse celebrari, quin occidatur Christus, cum sit testamentum, quod firmum non est, nisi mors testatoris *Hebr. 7.* intercedat. An ergò seipsum occidit, quando in Cœna seipsum distribuit? An Cœna quoq; testamētum est? an toties mori testatorem necesse est, quoties testamentum eius producit, & legatariis applicatur? Missa ergò non noua testamenti institutio, sed instituti est repetitio, commemoratio & applicatio.

Millesexcenti Errores,

1179. Non posse applicari remissionem peccatorum per sacrificium Missæ, nisi denud effundatur sanguis Christi, cum dicat Apostolus, Heb. 9. *Sine sanguinis effusione non fit remissio.* Quomodo ergo Christus hominibus peccata remisit, priusquam sanguinem suum in peccatorum remissionem effudit? quomodo remittuntur etiamnum per Baptismum? Cœnam? Absolutionem? Fidem? Verbum?

1180. Scelus esse dicere, toties effundi Christi sanguinem, quoties Missa dicitur Pontificia. Grande scilicet scelus, Num toties quoq; suo modo sanguis Christi effunditur, quoties in ora hominum infunditur? Nec ergò in Cœna, nec in Missa sanguis Christi funditur, sed sumitur.

1181. Missam præripere Christianis fructum sacrificij Crucis, dum Missam spectantes & audientes, de vero propiciatorio sacrificio nil cogitent. Cum ipsa aliud non sit Missa, quàm sacrificij crucis repræsentatio & commemoratio, ad hoc maxime ordinata, ut in ea homines sacrificium Crucis antè oculos habeant, iugi cogitatione recolant, & nulli obliuioni tradant.

1182. Pontificios seipso constitutere redemptores, quando per Missam pretium redemptionis applicant, nec aliud agere, quàm verum sacrificium Crucis, exemplar duntaxat suæ redemptionis constitutere. *Caluin. loc. cit.* Sesquipedalia verba: Quid ergò sunt, vel efficiunt ipsi, quando redemptionis meritum & precium per solam applicant fidem? Cœnam? Ablutionem? Absolutionem? Num etiam seipso Deos & Christos constitunt, qui Christi meritum per ministerium verbi & Sacramentorum hominibus conferunt?

1183. Christum non dixisse in Cœna, *Accipite, offerte, sed, accipite & manducate.* At neq; Sacerdos communicaturis vel communicantibus dicit, *Accipite, offerte,* cum iam per ipsum oblatum sit, sed, *manducate,* num idè non obtulit pro ipsis, quod ad manducandum porrigit ipsis? Quamuis ergo Christus non dixerit, *Accipite, offerte,* at dixit, *Accipite, & hoc facite,* quod idem est, ac si dixisset, sicut ego offerendo me, manducandum vobis porrigo, sic &

fic & vos offerre, & aliis distribuere; Non enim solum distribuif-  
se, sed etiam secundum ordinem Melchisedech, Patri prius ob-  
tulisse Christum, supra diximus. Nec aliter Ecclesia verba Chri-  
sti haec tenus intellexit.

1184. Ipsos Pontificios fateri, Apostolos absq; tanta rituum  
& gestuum theatra pompa & superstitione, sola Oratione  
Dominica Missam celebrasse. Cur ergo more Apostolorum Mis-  
sam non faciunt? An minus offertur & sacrificatur Christus, si  
sola offeratur oratione Dominica, quam si integra offeratur Ly-  
turgia? Infr.

1185. Dispensationem corporis & sanguinis, non Missam,  
sed Cœnam à Christo & Apostolis appellari. Cum nec ipsa ali-  
ud sit Missa, quam Cœna, & Cœnæ representatio, in qua id ip-  
sum, quod Patri offertur, ab homine manducatur & distribu-  
tur.

1186. Missam non esse aliud, quam prophanationem Cœ-  
næ, ubi id, quod manducari debet, offertur: Cum (vt dictum est)  
id ipsum quod offertur, oblatum manducetur, nec aliam ob cau-  
sam finaliter offeratur, quam vt manducetur.

1187. Missam, sacrificium dici posse Eucharisticum, non  
autem propiciatorium pro peccatis, quandoquidem aliud pro-  
piciatorium pro peccatis nullum sit, quam Crucis. Cum hoc ip-  
sum aliud non sit re ipsa, quam crucis, ac solo offerendi differat  
modo, Idem continens corpus, quod in cruce effusione & separa-  
tione sanguinis fuit oblatum.

1188. Missam non posse remittere peccata, Cum ipsi pri-  
mariū Cœnæ effectum, remissionem esse doceant peccatorum.  
Et Apostolus scribat, Heb. 5. 7. *Omnes Sacerdotes habere debere  
sacrificia, quæ offerat pro peccatis.*

1189. Omnia peccata Sacrificio crucis fuisse remissa, vt po-  
te, in qua deletum est chyrographum mortis, quod contra nos erat. Col. 2.  
Quoad sufficientiam (inquiunt Theologi) non autem quoad  
efficaciam, seu applicationem, quæ non fit, nisi per media & Sa-  
cramenta à Christo instituta. Vnde licet, omnium hominum in  
Cruce

Millesexcenti Errores,

Cruce remissa sint peccata, ipsa tamen remissio sine baptismo nemini contingit.

1190. Pontificios docere, Missam remittere peccata ex opere operato, sine vilo bono motu eorum, pro quibus offertur, Absit: Non enim motum bonum à Sacramento, vel sacrificio, sed ab efficientia duntaxat & causalitate effectus Sacramentorum excludunt. *Supr. de opere operato.* Quomodo enim docerent, sine omni motu bono remitti peccata, cum sine poenitentia & Contritione, nec Missam quidem, vel Cœnā remittere doceant?

1191. Pontificios docere, Missam absolutè, & per sese dimittere peccata. Minimè id docent, sine poenitentia enim nemini, lege ordinaria, peccata remitti mortalia, omnium Pontificiorum vna est, & communis sententia. Quod si qui remitti auctiunt, de leuioribus non lethalibus, intelligunt, quamuis & hæc remittere dicatur Missa, quia remissionem impetrat.

1192. Ridiculum esse, quod Missam propiciatorium esse Sacrificium Pontificij velint, cum tamen peccata non remittere, sed remissionem tantummodo doceant impetrare, atque adeo non propiciatorium, sed impetratorium Missam dicendam fore sacrificium. An ergò ridiculus ipse Deus, qui sacrificia vetera, propiciatoria esse voluit pro peccatis, cum remissionem multò minus contulerint, quàm Missa? Propiciatorium autem est & dicitur, quia Christum, qui est propiciatio pro peccatis nostris, verè continet, ipsiusq; meritum & precium applicat. 1. Ioan. 2. & 4.

1193. Nullo modo, Missæ remissionem tribui posse, sine iniuria sacrificij crucis. Cum eandem ipsi sacrificio suo ficticio Cœnæ, quod Eucharisticum esse vtrò dant, tribuant? Numiniuriam infert Cruci, qui ad remissionem suorum peccatorum mediis vtitur crucifixi, ad impetrandum vel applicandum meritum & pretium crucis?

1194. Pontificios tribuere sacrificio Missæ infinitum valorem, cum is soli competat sacrificio crucis. Huic per se, illi ratione huius, cuius infinitum valorem infinitis, hoc est omnibus, applicat

applicat, quemadmodum & reliqua Sacramenta; alioquin ex semetipso, finito duntaxat quodam modo, singulis prodest.

1195. Missam nihil prodesse ex opere operantis. Cum quælibet actio melior & fructuosior, Deoq; reddatur acceptior, si bene & à bono peragatur ministro. Vnde sæpè munus placet, quia persona placet. *Respexit enim Deus*, inquit scriptura, Genes. 4. *ad Abel & ad munera eius*, cuius utiq; sacrificium placuit, quia ipse placuit. Hinc etiam nec sacrificia, nec Festa impiorum placere sibi Deus per Prophetas testatur, Esai. 1. *Sacrificium verò iusti acceptum est Deo*. Eccl. 35.

1196. Blasphemiam esse, sacrificium offerre pro defunctis. Cum scriptura affirmet esse salutare, sic enim in libris legimus Machabæorum, 2. Machab. 12. *Iudas sanctè & religiosè de resurrectione cogitans, misit duodecim millia drachmas argenti Hierosolymam, offerri pro peccatis mortuorum; sancta ergo & salubris est cogitatio, pro defunctis exorare, ut à peccatis solvantur.*

1197. Libros illos Machabæorum, ex quibus locus allegatus depromptus est, non esse canonicos & authenticos ad probandum dogmata fidei. An idèò, qui eorum refellunt dogmata? qui si etiam Canonici non essent, historicam saltem veritatem continere, nec aliud referre, quàm quod eo tempore in populo Dei factum vñ sitatumq; fuerit, fatendum erit. De eorum verò auctoritate Canonica nunquam dubitavit Ecclesia.

1198. Offerre pro defunctis, nec doctrinam nec traditionem esse Apostolicam. Atqui institutio eius & origo in alium primum referri non potest auctorem. Hinc Chrysostomus scripturarum & traditionum Apostolicarum haud ignarus, *Non temerè (inquit) hæc ab Apostolis sancta fuerunt, ut in tremendis mysteriis, defunctorum agatur commemoratio, sciunt enim multum illis inde provenire lucrum, multam vilitatem.* Vide Damascenum in Oratione pro defunctis.

1199. Tertullianum scribere, Ritus sacrificandi pro mortuis, non ex traditione Apostolica, sed ex consuetudine provenire. *De Coron. mib.*  
Cum

Millesexcenti Errores,

Cum hanc eandem consuetudinem ex traditione provenire his verbis restetur, *Traditio est autrix, consuetudo confirmatrix, fides observatrix.*

1200. Ritum sacrificandi pro mortuis, nusquam esse in scripturis Canonicis expressum. Demus: An idem malus, & scripturis contrarius, quia in scripturis verbatim & syllabatim non est expressus? Expressum tamen, patet ex loco paulò antè citato, 2. Machab. 12.

1201. Ritum sacrificandi pro mortuis nullo fuisse in vsu apud veteres. Cum crebra illius & illustra, passim apud omnes extent testimonia, Chrysoft. Supr. Aug. infr.

1202. Pontificios non habere antiquiora sui pro defunctis sacrificij testimonia, quàm Gregorij & recentiorum, *Melanct. in Apolog. de Miss.* Cum extent apud August. epist. 64. ad Aurel. In Enchirid. cap. 109. De Cura pro mort. cap. 9. 11. lib. 9. Conf. cap. 12. Chryf. supr.

1203. Non habere Pontificios vetustiora de sapediçto ritu testimonia, quàm Augustini, Epiphaniij & Gregorij. Et omnium aliorum, putà Patrum. An enim non idem Ambros. libr. 2. epist. 8. Cyril. Hierosol. catech. 5. Euseb. Cæsar. lib. 4. de vita Constant. cap. 71. Cypr. lib. 1. epist. 9. Tertul. de Coron. milit. Chrysoft. loc. cit. ubi eundem ritum ab Apostolis provenire perspicuè scribit. Clem. lib. 8. Constit. cap. 19.

Chryso. hom. 70  
ad popul. Anci  
ocb. 72. & 21  
in Act. lib. 6.  
de Sacerd.

1204. Veteres, quando inquirunt, sacrificium offerri pro defunctis, non aliud intelligere, quàm offerri preces & eleemosynas. *Georg. Maior in refutat. prophanationis Cœnæ.* At si preces prosunt & eleemosynæ defunctis, cur non & Missæ, oblationes & orationes? Veteres verò non tantum aiunt preces & eleemosynas, sed etiam corpus & sanguinem Christi offerri pro defunctis, quæ tria clarè distinguit August. loc. cit. *Cum (inquit) siue altaris, siue quarumcunq; eleemosynarum, pro baptizatis defunctis omnibus offeruntur, pro valde bonis gratiarum actiones sunt, pro non valde malis, propitiations sunt, pro valde malis, etsi nulla sunt adiumenta mortuorum, qualescunque consolationes vivorum sunt: quibus autem prosunt, aut ad hoc prosunt,*

In Enchir. c. 109  
Et q. 2. ad Dulci  
tium. & ser. 34.  
de verb. Apost.

profunt, vt sit plena remissio, aut certè, vt tolerabilior fiat ipsa damnatio.

1205. Olim quidem in celebratione Coenæ, vfitatam fuisse commemorationem defunctorum, sed non in eum finem, vt oblatio Eucharistiæ esset propiciatio pro peccatis mortuorum, sed tantum vt populus commonefieret, ad Ecclesiam etiam pertinere defunctos, ad testificationem articuli de Communionis sanctorum, quam in symbolis profiteamur. Atqui figmentum hoc esse, liquet ex illis, quos citauimus, Patribus. Vnde August. loc. cit. ipso propiciationis vtitur vocabulo: alijs verò locis, distinctionem ponens inter martyres & alios defunctos, vtrorumque ait fieri commemorationem ad altare, sed diuerso modo, illorum, vt orent pro nobis, horum verò, vt nos oremus pro ipsis.

1206. Negare sacrificium Missæ pro defunctis, non fuisse hæresim quondam Aërij damnatam. Philip. in Apolog. de Miss. Cum id expressè testentur Epiphanius in Anacaphaleosi. Aug. de hæres. cap. 53. Damasc. lib. de 100. hæresib.

1207. In Papatu offerri sacrificium sanctis, iisq; ad id propria constitui templa. Cum oppositum definiatur à Concil. Trident. Sess. 22. cap. 3. Hinc Aug. Nos martyribus non constituimus templa, sacerdotia, sacra, & sacrificia; quis enim audiuit aliquando fidelium, stantem sacerdotem ad altare dicere, offero tibi sacrificium Petre, vel Paule, vel Cypriane? cum apud memorias eorum offeratur. Et alibi Nulli martyrum, quamuis in memorias martyrum constituimus altaria, sed quod offertur, Deo offertur, qui martyres coronauit, apud Memorias eorum, quos coronauit.

1208. Pontificios in Missa adorare sanctos, proinde Missam manifestam esse idololatriam. Cum nec extra Missam quidem, præter Deum solum, adorent vllam creaturam, nisi fortè idempotent, sanctos orare & adorare? oramus sanctos, solum adoramus sanctum sanctorum.

1209. Nec inuocandos quidem esse Sanctos in Missa. At cur? Si enim inuocandus est Deus sanctorum, cur non inuocandi sunt & sancti, vt eundem, quem nos oramus, ipsi quoque nobiscum

NN

biscum

## Millesexcenti Errores,

biscum, ac pro nobis orent, & adorent Deum? Neq; enim inuocantur vt Deus, sed vt Deum pro nobis ipsi & orent & adorent.

1210. Christum non dixisse in Institutione suæ Cœnæ, *Hoc facite in memoriam Sanctorum, sed, in mei memoriam, Nec Paulum: Quotiescunq; feceritis, sanctorum simul & Christi memoriam facite, &c.* Ineptiæ: Quasi Christus ferre non possit, vt eorum fiat commemoratio, quos ipse sanctificauit, quorum memoriam & laudem in Ecclesia sua iugem vult esse & æternam? Vnde Psalmista Ps. 111. In memoria æterna erit iustus, ab auditione mala non timebit. Eccl. 45. 46. Neq; aliud est laus, honor, & memoria sanctorum, quàm laus, honor & memoria eius, qui sanctificauit & beatificauit eos.

1211. Sanctorum inuocationem in Missa, non esse aliud quàm institutionis, & institutoris cœnæ prophanationem, quandoq; dem solus inuocandus sit Deus. Cum aliud non sit inuocatio Sanctorum, quàm ipsissima & efficacissima inuocatio Dei, qui aliter haudquaquam inuocatur, quàm vt ipsum & ipsorum nobiscum inuocent Deum? De Inuoc. verò Sanctorum alibi.

1212. Augustinum scribere, in administratione Cœnæ Dominicæ, nominari à Sacerdote, nullo autem modo inuocari sanctorum. Kemnitius. Verba sunt Augustini: *Vni Deo, & Martyrum & nostro, sacrificium immolamus, ad quod sacrificium, sicut homines Dei, qui mundum in eius confessione vicerunt, suo loco & ordine nominantur, non tamen à Sacerdote, qui sacrificat, inuocantur, Deo quippe, non ipsis sacrificat, quamuis in memoriam eorum sacrificet, quia Dei Sacerdos est, non illorum.* Vide, an & sensum, & verba deprauent Augustini? Ex sacrificio facientes Cœnam, & ex inuocatione Dei, inuocationem sanctorum, quàm passim & vbiq; August. probat. Serm. 18. de Sanct. lib. 22. de Ciuit. cap. 8. Meditat. cap. 24. de Ciuitat. Dei lib. 2. cap. 27.

1213. Quæstionem de Inuocatione Sanctorum, primùm enatam & motam fuisse tempore Augustini. Kemnit. Cum vix paucis interiectis lineis, Basilium quoq; Hierony. & Nazianzen. & alios audaciores aliquanto fuisse circa hanc eandem quæstionem asserat.

1214.

Lib. 22. de Ciuit.  
cap. 10.

1214. Augustinum non decidisse, sed in medio reliquisse questionem illam, Inuocandi ne sint Sancti in Missa, nec ne. Manifesta deprauatio; Neque enim vel Augustinus, vel vllus ante vel post Augustinum, aliquando dubitauit orthodoxus Theologus, Inuocandine sint sancti, cum passim inuocent, sed hoc est quod dubitant, vtrum, quando miracula ad eorum fiunt sepulchra, per ipsorum fiant spiritus, an verò per angelos, aut alio occulto modo, soli Deo noto, atq; hoc in medio relicto, asserit Augustinus, indubitatum esse, homines à Sanctis, dum inuocantur, iuari. Vid. libr. 22. de Ciuitat. cap. 8. vbi plurima recenset miracula, ad memorias & inuocationem Sanctorum facta.

Lib. 22. de Ciui. cap. 10. 19. Et de cura pro more. cap. 16.

1215. Hieronymum, Basilium, Nazianzenum, & alios, nimia audacia Inuocationem Sanctorum in sacrificio Missario astruxisse. Atqui id asseruerunt, de quo Christiani nulli dubitarunt, An non diabolica (inquit Lutherus ipse) audacia & præsumptione asseritur, quod nullo Patrum, vel Ecclesiæ testimonio roboratur?

In delib. Theol. VVittenberg.

1216. His postremis temporibus fabricatum esse articulum fidei, de patrociniis & meritis Sanctorum, & quod horribilius dictu, ipsam etiam actionem Cœnæ, eò detorqueri cœptam, Kemnitius. His postremis (inquit Kemnitius) temporibus fabricatum esse, quod iam iam ab antiquissimis quibusuis Patribus, Hieronymo, Basilio, Nazianzeno, Augustino, nimia audacia dixit esse assertum: An sibi non constat?

## De Missis priuatis.

1217. **M**issas priuatas, priuatam esse idololatriam. At si Missa, Cultus est religionis Christianæ, nec publica, nec priuata Missa erit idololatria.

Ex Kemn. in 2. part. Examin. d. pag. 195.

NN 3

1218.

*Millesexcenti Errores,*

1218. Nullas fuisse apud veteres, Missas priuatas. *Kem. pag. 197.* Cum paulò post ( vt infr. ) antè multas fuisse annorum centurias, idem fateatur.

1219. In publicis solum templis, non in locis Missam esse celebrandam priuatis. Adeò scilicet de priuatis solliciti Misis, cù nec publicas ferant aut probent.

1220. Festis tantummodo diebus, non quotidie Missam esse celebrandam. Quotidianas improbant, quasi festiuas & solennes probent, cum & has & illas eodem loco habeant, & è templis & finibus suis proscribant? An quod festis diebus prodest, profestis obest?

1221. Superstitiosum & vanum esse, pro his aut illis rebus, vel personis Missas celebrare. Atqui id minimè vanum fuit, & superstitiosum apud veteres. Et in veteri quidem testamento id fuisse in vsu, legenti ipsum, est manifestum, pro regibus enim & Sacerdotibus sacrificia offerebantur. *Leuit. 4. 5. pro filiis & amicis Iob, Iob. 1. 42. pro Heliodoro, 2. Machab. 3. Pro mortuis, 2. Machab. 12. Et hoc ipsum sacrificium nostrum, B. Aug. offerri voluit, pro anima Monicæ matris suæ. lib. 9. Confess. cap. 12. Et contra dæmonum infestationes, lib. 22. de Ciuit. cap. 8. Idem B. Chrysof. Supr.*

1222. Missam non esse celebrandam, nisi præsentem Cœtu. *Hebr. 5. 7.* Cum Apostolus aliud non requirat, quàm quòd Sacerdos dona & sacrificia offerat pro populo, quòd æquè sit, siue præsentis sit, siue absens sit populus; Neq; Christus pro præsentibus duntaxat, sed pro omnibus sese obtulit, etiam nondum natis. Quin populares cœtus & conuentus, sæpe magis impediunt quàm promoueant Ecclesiasticas functiones. Hinc est, quòd Greg. prohibet, ne celebrentur in Monasteriis Missæ publicæ, ne in secessibus seruorum Dei fiant conuentus populares. *lib. 4. epist. 43. ad Callorium.*

1223. Ante Gregorij tempora, nullam fuisse Missam priuatam. *Philip. in Apolog.* Cum antè ipsum in cryptis etiam & speluncis celebratæ fuerint subterraneis. Et Ambros. quidem, vt Paulin. refert, in vita ipsius, in domo celebravit, matronæ cuiusdam nobilis, Aug. in prædio rustico, 22. Ciuit. cap. 8.

1224. Vna die, vna plures non esse celebrandas Missas. At cur vna & non plures? An si vna prodest, plures non proderunt?

1225. In primitiua Ecclesia tot non fuisse, quot modò sunt, Missas. At si tot fuissent, quot sunt modò templa, & Sacerdotes, nec pauciores fuissent Missæ: singulis nihilominus diebus, singulos celebrasse Sacerdotes, ex verbis illis liquet Hypoliti. *Venite* (inquit Christus in extremo iudicio) *Pontifices, qui preciosum corpus meum quotidie imolastis.*

*In Orat. de An-  
ticristo.*

1225. Non esse veram sine communicantibus, Missam. Quia id auctoritate? Cum Apostolus aliud in sacrificante non requiratur, quam vt offerat pro populo: Neq; de ratione est, vel vnquã fuit, vt populus de illo edat. Leuit. 6. 7.

1226. Christum Cœnam suam non sine Communicantibus celebrasse, proinde nec celebrandam: Cum nec à Pontificiis Cœna sine cœnantibus celebretur: aliud verò est Cœna, aliud Missa, in qua tamen à communione nemo arcetur.

1227. Pontificios docere, & sibi persuadere, abundè institutioni Christi satisfieri, si quis spiritaliter missam duntaxat spectando & audiendo, communicet, Cum lege cautum sit apud Pontificios, vt omnes vtriusque sexus, semel ad minus in anno communicent.

1228. Vllam Missam rectè dici priuatam. Cum omnis Missa, vbicunq; & quotiescunq; dicatur, per publicum dicatur Ecclesiæ ministrum, pro tota Ecclesia. *Omnis siquidem* (vt ex Apostolo Heb. 5. sæpè notauimus) *Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his, quæ sunt ad Deum, vt dona & sacrificia offerat pro se & populo.*

1229. Contentiosos esse Pontificios, quod negent vllam rectè dici Missam priuatam, cum antè multas annorum centurias, sic dicta fuerint à Gregorio. *Kern.* Cum quid per priuatam intelligant Missam, non explicent: si enim illam priuatam esse, diciq; velint, in qua præter offerentem seu celebrantem, alius communicat nullus, illa ergo publica erit, in qua pauci vel multi communicant. Itaq; quando in publico solenni que conuentu

*In Registr. &  
gloss. de Consecro  
d. 1.*

## Millesexcenti Errores,

Missæ celebratur, in qua tamen nemo de populo communicet, illa publica non publica, sed priuata dicenda erit Missa: quando verò Minister Cœnam suam priuatim alicui porrexerit, publica dicenda erit Missa? Et quæro, publicæne fuerint Missæ illæ, quas olim tempore persecutionum, in occultis & subterraneis locis, celebratas fuisse historiæ commemorant, an verò priuatæ? Si enim publicæ, quomodo occultæ? Si priuatæ, quomodo eas publicas vocant, in quibus præter sacrificantem alij communicant? in illis enim occultis & priuatis Missis, occultè & priuatim, fideles communicabant.

1230. Non esse separandam Eucharistiæ consecrationem à distributione eiusdem, sic enim Christum fecisse & faciendum esse præcepisse. At quid, si postquam corpus suum Christus panem esse dixit, eum sumere discipuli, vel timore, vel horrore, renuissent? an panis idcirco consecratus non fuisset? an asseruari, vel ab ipso qui consecrauerat, sumi & absumi necessario non debuisset? Itaq; non Sacerdos, sed populus non communicans in causa est, quod multæ sine communicantibus celebrentur Missæ, cum Sacerdos ideo sacris altaribus astet, vt hostiam salutarem consecret, & participare volenti communicet. Sed & Missa, non solum est commemoratio Cœnæ, in qua distributio facta est, sed etiam Sacrificij crucis, quod sine vlla distributione peractum est.

1231. Apostolos Act. 2. in Actibus, non disiunxisse sacram Synaxin à distributione. Kemnitius. Fatetur Kemnitius, Apostolos loco citato, sacram celebrasse & distribuisse Synaxin, quod tamen pleriq; eius complices negant, cum ex eo vnus speciei vsus haud obscure demonstratur, quando quidem Calicis ne mentio quidem. Sed de mus, Missam eo loco Apostolos celebrasse, cõunionemq; siue sub vna, siue distribuisse sub vtraq; num inde rectè inferitur, Missam nullam sine cõmunionem populi esse peragendam? An & Pontificij in Missa homines communicare volentes, non communicant?

1232. Apostolum scribere, 1. Cor. 10. Nos participes fieri corporis & sanguinis Domini, non spectando vnum aliquem sacrificulum manducantem, sed manducando. Quasi vllus sit, aut aliquando fuerit apud Pontificios, qui Eucharistiam non sumat, sumperitq;? Num singulis in Missis, singuli manducare debent?

1233. Apostolum damnare Coenam priuatam, ac velle, vt in vnum omnes conueniant, & inuicem expectent. 1. Cor. 11. *Kemnit.* Vanè: An enim homines, quando communicare solent, in vnum non conueniunt, seq; inuicem expectant apud Pontificios? An Paulus dixit, vt toties conueniant & communicent, quoties Sacerdos consecrat?

1234. Veteres non celebraffe Missam, nisi essent qui communicarent. *Kemn.* Falsum id esse, vel solus demonstrat Augustini sæpè citatus locus, qui sine vllis communicantibus, in præ- 22. Ciuit. cap. 8  
 dio quodam rustico, contra vexationes dæmonum, sacrificium Missæ fieri curauit, eoq; dæmones fugauit. Et infirmi quidem, quomodo apud veteres in Missa publica communicabant? quomodo communicare possunt? Quin ad hospites peregrinos & Eremitas, Eucharistiam fuisse transmissam, ipse ex veteribus refert Kemnitius, supr. de Afferuat.

1235. Abusum illum spectandi & audiendi duntaxat Missam, & non communicandi, non solum antiquitati fuisse ignotum, sed grauitè repræhendi à Patribus. Vnde B. Chryso- Hom. 3. ad Epbo.  
 stomus: *Frustra habetur oblatio quotidiana, cum nemo sit, qui simul participet, & infert, satiùs esse, non interesse omninò Sacrificio, quàm à communione abstinere.* *Kemn.* Vide q̄secro, An Patres oblationem à communione non discreuerint? An festis solum diebus, & non quotidie Missas celebrauerint? An populus in singulis Missis communicauerit? Et tamen hunc Chrysostomi locum, contra Missam allegat Kemnitius? An aliud queruntur Pontificij, quàm quotidie fieri Missas, nec tamen esse qui communicent? Sacerdotes ad distributionem paratos,

## Millesexcenti Errores,

paratos, populum ad sumptionem tardum & segnem? Vnde quod subiungit hoc loco Kemnitijs: *Audis non verba, sed fulmina contra persuasionem Pontificiam, de spectaculo priuatarum Missarum? an non vaniloquia, & magna contra ipsum fulmina? an non propugnat, quod impugnat?*

1236. Chrysoſtomum (loc. alleg.) in ea eſſe ſententia, nihil omninò prodeſſe Miſſas priuatas, quæ ſine communicantibus peraguntur. *Kemn.* Cum Communio ſoli proſit communicanti, ſacrificio nec quicquam afferens, nec auferens: An enim ſacrificium crucis nihil proſuit, quia ſine communicantibus aut ſumentibus illud peractum fuit? Chryſoſtomum verò cæterosq; Patres ſentire, Miſſam non ſolum prodeſſe communicantibus, ſed etiam abſentibus, itinerantibus, viujs & defunctis, euidentis eſt ex locis ſup. cit. teſtimonium.

*Can. 18. Apoſt.  
Concil. Ancyr.  
cap. 2.*

1237. Antiquos Canones excommunicare illos, qui ad ſunt Miſſæ, & non communicant, quin nec perfectam cenſere Miſſam, niſi in ea ſint qui communicent. *Kemn.* An ergo excommunicatus Kemnitijs? cum non modò in Miſſis nò communicet, ſed nec Miſſas quidem audiat? Negligentiam Canones populi, non celebrationem reprehendunt & damnant ſacrificij.

1238. Ex ipſa Miſſa Pontificia, abſurditatem elucere ſacrificulorum, qui in ſingulis Miſſis, dum conſecrant, dicunt, *Accipite, edite, Hoc eſt Corpus meum, quod pro vobis tradetur*, cum tamen nemini diſtribuant. An ergo verbis iſtis homines non inuitantur, vt veniant & edant? cur non veniunt? cur non edunt? An aliud parabola illa de Cœna magna, quàm hoc ipſum inſinuat? paratam eſſe Cœnam, imparatos & ſegnes inuitatos? Quamuis verba illa à ſacerdote non ad populum, ſed hiſtorica narratione, vt à Chriſto ad ſuos dicta ſunt diſcipulos, recitantur, quemadmodum eadem à Paulo narrantur, quod Chriſtus ea nocte, qua tradebatur, acceperit panem, benedixeritq; dicens, *Accipite, &c.*

*Luca 14.*

1239. S. Franciſcum in quadam Epift. ad ſuos Fratres, iubere, vt vna duntaxat Miſſa, vnoq; in loco celebretur, etiam ſi plures ſint Sacerdotes, qui celebrare cupiant. *Phil. in Apo. de Miſſ.*

*Papè:*

Papè : An à Francisco Missæ quærunt patrocinium? Cur ergò iuxta præceptum & institutum D. Francisci, Missam siue vnam, siue plures non celebrant? An non bellè obiiciunt Francisci institutum, qui & ipsum rident Franciscum, & eius institutum? Aut fortè ij, qui hætenus toto longè lateq; orbe Franciscum secuti sunt institutum, ignorarunt, aut non obseruarunt Francisci institutum?

1240. D. Basilius non probare Missas priuatas, ait enim, *Non in latebris delitescens sacrificabo, publicum tibi exhibebo sacrificium.* Scilicet, plures improbant, quasi vnam probent & præferant, cū nec publicam cum Basilio, nec vnam & priuatam probent cum Francisco? Basilius verò non comparat Missam publicam cum priuata, sed sacrificium Catholicorum, quòd iuxta Prophetarū oracula, in toto spectatur & offertur mundo, cum hæreticorum, qui de occultis gloriari solent doctrinis & sacrificiis.

1241. Priuatas Missas, propter quæsturam & nundinationem pecuniarum, à Pontificiis esse inuentas, & sub specie religionis introductas, vt qui offerunt aliquid, tametsi non communent, dummodo contribuant, prodesse sibi ad salutem credat, iuxta illud Christi, Matth. 15. *Munus quodcumq; ex me, tibi proderit, & irritum fecistis mandatum Dei, propter traditionem vestram.* Calumniam esse: ipsæ, quæ sine vllis pecuniis aut oblationibus fiunt, quotidianæ priuatæq; ostendunt Missæ: Quod si quicquam Sacerdotibus inde prouenit, *Æquum est*, inquit Apostolus, 1. Cor. 9. *vt qui altario deseruiunt, de altario quoq; viuant; & qui spiritualia seminant, carnalia & temporalia metant:* An & ipsi pseudoministri Evangelici sine vllò victu & amictu, Euangelium suum, nulli fructuosum, omnibus perniciosum, prædicant? Dignus est ergo mercenarius mercede sua, Matth. 10. quamuis multi etiam sine vlla hominum mercede, spe retributionis melioris & æternæ, Deo seruiant & hominibus, Missasq; quotidie faciant? Peculiare autem est, semperq; fuit sectariis, sub prætextu abusus, ipsum è medio tollere vsum.

1242. Omnes Missas priuatas vendi, emiq; apud Pontificios, pe-

OO

os, pe-

## Millesexcenti Errores,

os pecunia: Omnes clamant, emi vendiq; Missas, cum nulla omnino vel ematur, vel vendatur. Quod si (vt dictum est) altario seruientibus, certa constituta sunt stipendia, an id vendere? an id Missas est emere? Quod si etiam hac in parte (vt in plerisque solet rebus bene institutis) abusus quispiam, quem nemo probat, accideret, an propter abusum, ipsum relinquemus & damnabimus vsu? An propter quorundam Sacerdotum auaritiam, ipsam damnabimus Christianorum lyturgiam? Et si Missas sine vllis probant oblationibus & pecuniis, cur sine his, suis ipsi absque pecuniis Missas non celebrant sectariis? aded scilicet solliciti, ne quas forte Missas priuatas comparare debeant teruncio, vt nec gratis eas admittant in publico.

1243. Vnumquemque etiam Laicum, potestate sibi diuinitus tradita & concessa, celebrare posse Missam, cum ex æquo Sacerdotes sint omnes. *Luth. de Capt. Babyl. cap. de Ordinatione.* Laicis arrogant, quod Sacerdotibus etiam derogant? Si autem vnusquisque Laicus offerre potest, & sacrificare, quid est, quod Apostolus ait: *Omniem Pontificem ex populo assumi, vt dona & sacrificia offerat pro populo, nec quemquam sibi ipsi sumere honorem, sed vocari vt Aaron.*? An idem Pontifex ex populo assumptus & pro populo constitutus, quod populus, ex quo assumitur? Et si omnes pastores, vbi grex & oues?

Hebr. 5.

1. Cor. 12.  
Rom. 12.

1244. Missam non Latina, sed vulgari celebrandam esse lingua. *Kem.* Atqui nulla lingua, apud omnes gentes & Ecclesias, hoc tempore tam est vulgaris, quam latina.

1245. Apostolum velle, vt omnes intelligant, quid dicatur, agatur & legatur in Ecclesia. *Kem.* An ex hoc ipso sequitur, non vulgari, quam nemo nisi vulgus vnus intelligit gentis vel Ciuitatis, sed communi aliqua lingua, quam etiam peregrini intelligant & exteri, esse celebrandam? quomodo enim respondebit Italus aliquis, vel Vngarus in Ecclesiis nostris Amen, si linguam non calleat nostram? aut nos in ipsorum, si linguam non calleamus ipsorum? Latinam verò etsi non omnes intelli-

intelligant Laici, præcipui tamen viri, & Laicorum intelligunt filij.

1245. Decentius esse, vt in Ecclesia, vulgari omnia peragantur lingua. Cum ipsi in locis plarisque Lutherani, vbi nondum de Calice bibunt Caluini, non vulgari, sed vtantur latina? Quid autem decentius sit in Ecclesia, nemo rectius, quàm ipsa decernit & ordinat Ecclesia?

1246. Saltem Canonem Missæ, vulgari & intelligibili sermone, quò ab omnibus institutionis & consecrationis verba intelligantur, esse pronunciantum: At quorsum? neque enim ad populum instruendum, sed ad ipsum Deum, & dona consecranda, verba diriguntur, quæ nec ex dicente, nec vim vllam sortiuntur ex audiente: Non enim panis est Corpus, quia Corpus dici, esseque audis, sed quia per Verbum C H R I S T I fieri & esse credis, quod nisi crederes, nec sumeres, nec audires.

1247. Non posse constare populo, Num verè Minister consecret, vel verba Institutionis proferat, nisi audiat. Cum etiam si audiat, intentionem tamen eius nesciat. Et hac ratione nullus communicare posset surdus. Scrupulus alioquin vanus, neque enim seipsum fallit Minister.

1248. Linguam Latinam esse peregrinam. Cum nulli hoc tempore genti propria, sed propemodum communis & vulgaris sit omnibus.

1249. Linguam vulgarem, plurimum conferre ad pietatem & religionem rudioris populi: Maxime puta, vbi in vnum Sueui, Bauari, Westphali, Flandri, Heluerij, Saxones, Thuringi & Silesij, mares & fœminæ, iuuenes & virgines, seipsos voce prouocantes & confundentes conueniunt, & Missam concinunt, & spiritum mentis Deo & orationi intentum distrahunt? An non potius abhorrent aures? & ab oratione & meditatione mysteriorum DEI abstrahuntur mentes? An quæ populo scitu sunt necessaria, pro Concione non explicantur?

Millesexcenti Errores,

An sub illo pietatis & religionis prætextu fucus non quaritur? & squalor omnis inducitur hæresis, rebellionis & confusio? Aut fortè verum esse inficiabimur, quod tot annorum experientia contuemur?

1250. Missam non esse sub silentio immurmurandam, sed alta claraq; voce, vt omnes audiant, efferendam. At quid, si tantum clamare nequeas, vt in amplissimis templis exaudiri ab omnibus queas? quid si qui audiant, nec tamen (vt fit plerumq;) intelligant? An alta magis quàm submissa voce, consecratur Eucharistia? An non & ipse liberum vult esse Luth. siue alta dicatur voce, siue submissa? *de Formul. Miss.* Apostolus sanè aliud non requirit à Sacerdote, quàm vt oret & offerat pro populo, id dummodo fideliter exequatur, quacunq; lingua, vel pronuntiatione faciat, sufficit.

*Lib. de Spiritu  
sancto.*

1251. Antiquitus, maximè verò apud Græcos, referente Bessarione, Missam nullo sub silentio, sed alta elataq; voce fuisse celebratam: Cauillationes inanes? Si enim alta celebrari volunt Missam, cur non celebrant? cur, vt ipsum fugiendam Diabolum Missam passim clamitant? An non præferenda melior Ecclesiæ Latine, quàm Græcæ consuetudo? sed & apud Græcos eam non fuisse consuetudinem, haud obscure ex ipso colligitur Magno Basilio, qui multum conferre scribit ad dignitatem & reuerentiam mysteriorum, si non asuescat vulgus eadem audire sapius, nec ad aures eius facile efferantur.

1252. Antiquorum Lyturgias sonora voce fuisse celebratas. Id minimè verum, liquet ex Lyturgiis Chrysoctomi, & Basilij, in quibus quædam alta voce, quædam *mysticòs* secreto pronuntiantur. Nam quod per secretam, moderatam intelligit Kemnitius vocem, sua, vt solet, vritur auctoritate.

1253. Caremonias Pontificiæ Missæ, irritabula esse potius impietatis & superstitionis, quàm incitamenta & ornamenta pietatis & religionis. *Calum. lib. 4. Instit. cap. 17. S. 43. Luth. de Capt. Babyl. de Eucharistia.* At quid mirum, quibus ipsa ludibrium est Missa, Caremonias esse sannas? An qui corpus suspendit, ve-  
stes

stes eius magnipendit? Aliud tradiderunt Maiores nostri, nec impij, nec superstitiosi.

1254. Cæremonias olim fuisse, & nunc esse debereliberæ observationis. *Kemnit. pag. 196.* Liberas esse volunt Maiorum ab Ecclesia vniuersa receptas cæremonias, cum interim suas nulli permittant liberæ? An libertas ista cæremoniarum, aliud est, quàm Confusio & euerfio omnium benè ordinararum Ecclesiarum? An præstat easdem vbiq; esse cæremonias, quàm vbiq; nullas? nouas? confusas? An non ex ipso cæremoniarum contemptu, ipsa paulatim languescunt, vilescunt & euanescent Sacramenta? quot enim obsecro, reliqua nobis fecerunt aduersarij Sacramenta? An liberæ nobis suis in Ecclesiis relinquunt cæremonias? minimè: Et tamen liberæ eas esse volunt obseruationis?

1255. Concilium Trident. Omnes omninò Missæ cæremonias indifferenter approbare & præcipere, siue piæ sint, siue superstitiosæ. *Kemnit.* Minimè verum: Eas siquidem duntaxat approbat, quæ ab Ecclesia vniuersa sunt approbatæ & receptæ, quæ si Christianæ religioni consentaneæ non essent, eas vtiq; nec approbasset, nec approbarer. Alibi.

1256. Concilium Trident. definire, Omnes Missæ cæremonias Apostolicas esse traditiones. *Kemnit.* At nihil tale in Concilio; quasdam enim, non omnes ab Apostolis, quasdam vero à Pontificibus prouenire, ipse ex sententia Pontificiorum recitat *Kemnitius, pag. 195.*

1257. Nullas omninò Cæremonias Missæ, ex Apostolica prouenire traditione, cum nullæ in scriptis eorum legantur. *Kemnit.* At si scriptæ essent, traditiones non essent. An autem sint, non à nobis, sed ab iis, qui Apostolos consecuti sunt Maioribus desumendum est, qui nisi eas ab Apostolis accepissent, Apostolicas haud quaquam appellassent, nec vt Apostolicas recepissent, multò minus ad posteros transmisisissent.

1257. Pontificios, Omnia Pontificum & monachorum inuenta & deliria, pro Apostolicis vendicare traditionibus. Cum vice versa, Omnes ipsi Apostolicas traditiones, hominum appel-

Millesexcenti Errores,

lent inuenta & figmenta? Pontificij verò, quas vocant, traditiones Apostolicas ipsi non confinxerunt, sed in Ecclesia vniuersa à Maioribus, ipsorumq; Apostolorum successoribus traditas inuenerunt & acceperunt, ac nisi inuenissent, nec retinuissent hætenus, nec retinerent.

1. Cor. 11.

1258. Apostolum nullas ad Corinthios in actione Cœnæ descripsisse vel adhibuisse cæremonias. Atqui quas alias Pontificij in administratione Cœnæ adhibeant, præter ipsam specierum Sacramenti decentem distributionem, non video, aliud autem Missa, aliud ipsa est Cœna: Alias nihilominus eo loco ordinasse Apostolum, ex vltimis illius Epistolæ liquet verbis, *Cætera cum venero, disponam*: utiq; disposuit, & tradidit, quæ tamen literis & epistolis non mandauit, quæ Ecclesia ab ipso per manus accepta, posteritati consignauit & commendauit.

1259. Pontificios veterum Cæremonias, multis additiotiosis & superstitiosis ritibus, accumulasse. *Kemnit.* Cum nullas omninò nisi ex veterum habeant lyturgiis & traditionibus, longeq; plures in ipsis veterum extant lyturgiis, quàm in modernorum Missis.

1260. Otiosas & superstitiosas esse Missarum Cæremonias. Apud eos putà, quibus omnia sunt vana, præter eorum pernitiiosa dogmata: In Ecclesia verò Catholica, nihil est otiosè, nihil institutum superstitiosè.

1261. Apud Pontificios, adeò stricti esse iuris, liberas alioquin cæremonias, vt læthali eum crimine & anathemate feriant, eas qui neglexerit. Atqui nemo sine crimine damnatur; si autem crimen non est, omnem Ecclesiæ bene institutum ordinem & disciplinam confundere, ac totam Ecclesiam miscere & euertere, nescio quod aliud crimen sit, vel esse possit.

1262. Pontificios planè sibi persuadere, non rectè celebrari Cœnam Dominicam, nisi totus adhibeatur cæremoniarum apparatus. *Kemnit.* At obsecro, quem in administratione & dispensatione Eucharistiæ, maxime apud infirmos adhibent, appa-

apparatum? Et quidem si adherent, num Sacramento quicquam derogarent?

1263. Pontificios tribuere cæremoniis & ritibus suis peculiaria quædam merita. *Kemnit.* Omne opus bonum suum habet apud Deum meritum, qui ut nullum malum impunitum, ita nullum bonum relinquit irremuneratum: Opus tamen meritorium absq; charitate Pontificij agnoscunt nullum.

1264. Non esse adhibendas in Missa vestes sacras: An ergo adhibendæ prophanæ? an in Missis & lyturgiis suis veteres non adhibuerunt?

1265. Nullis ad Consecrationem Eucharistiæ opus esse altariibus: An ergo mensis opus prophanis?

1266. Vanum esse in celebratione Missarum, sacra ex auro, argentoq; adhibere vasa. Et cur non cum Salomone, *Vanitas Vanitatum, & omnia vanitas?* An rectè adhibentur in mensa Kemnitij, non autem rectè adhibentur in mensa Christi? *Eccel. 1.*

1267. Vsum sacrorum & aureorum vasorum nouum esse. Cum in veteri testamento fuerit celeberrimus. Ac tempore fuisse Augustini, ipso referente constat, sic enim inquit, *Et nos pleraq; instrumenta & vasa ex auro & argento habemus in vsum celebrandorum Sacramentorum, quæ ipso ministerio consecrata sancta dicuntur.* Et eadem illo tempore ab hereticis fuisse prophanata & direpta testatur Opt. Mileu. lib. 6. cont. Parm. Chryf. homil. 4. in Matth. *In Psal. 117.*

1268. Prophanationem sacrorum vasorum, magis congruere religioni Christianæ, quàm eorum consecrationem, asseruationem aut vsurpationem. Religioni, puta, prophanorum Turcarum & Tartarorum, non Christianorum: Prophanatoribus autem illa dicta sunt verba, *Mane, Thekel, Phares,* Daniel 5.

1269. Deo non posse displicere, quantumuis omnia Pontificiorum sacra vasa, prophanis destinentur & adhibeantur vsibus. At quantum placeat, exemplum ostendit regis Baltasaris.

1270. B. Ambrosium testari, Sacramenta Christi, non exigere aurum, neq; propter aurum placare Deum, & huic astipulari poëtam, canentem? *Dicite Pontifices, in sacro quid facit aurum?* *Dan. 5.*  
*Lib. 2. de diuin. offic. cap. 28.*

*Caluin.*

Caluin. in p̄s̄fat. Institut. Abusum, non vs̄um arguit Ambrosius, plurima enim eod. loc. de sacris & consecratis tractat vasis. Ad pōetam verò quærentem & interrogantem, *Dicite Pontifices, in sacro quid facit aurum?* respondent Pontificij, vt habeant Caluinistæ, aliaq; sectæ, quod more Donatistarum & veterum hæreticorum sacrilegis manibus diripiant, & in vs̄us conuertant prophanos, *Quid enim (ait quoq; pōeta) non cogit mortalia (hæretica) pectora, auri sacra fames?* Alioquin sacris asseruantur à Pontificiis mysteriis, quæ si Deo placent, illa displicere non possunt.

1271. Magis congruere religioni, vasa sacra diuendere, & in vs̄us pauperum conuertere, quàm sacrificiis adhibere & Sacramentis. Vox Iudæ Ischariotis. Et Christo, & Christi seruis & pauperibus, vbi necessitas exegerit, succurrendum est & seruendum: Neq; inusitatum est in Ecclesia, omnes necessitate exigente, thesauros Ecclesiæ, in vs̄os conuertere pauperum & Ecclesiarum, quod D. fecisse Laurentium hystoriæ tradunt. Eisdem de Acacio refert Socrates, qui etiam, cum ob id accusaretur, respondit, *Deum nostrum neq; calicibus, neq; discis egere, quia non comedit, neq; bibit.* Si quis ergo in pauperes Christi, largus esse velit, de suo sit, non de alieno, vel sacrilegio; Christo non subtrahat, quod Christiano erogat; sacrificium enim & eleemosyna de rapina, Deo non placet. Et si in vs̄us pauperum Maiores ea dispensari voluissent, in vs̄us Ecclesiæ ea non conuertissent.

1272. Magnum cecitatis Pontificiorum esse argumentum, quod media die, rutilante sole, cereos & luminaria Deo suo Missario accendant, eo signo non obscure indicare, & ipsos, & ipsorum Deum triticeum cecos esse, ac illuminatione veri luminis indigere. An ergo Israelis quoque Deus cæcus erat, quia ei luminaria Israelitæ incendebant? An magis vt lumen verumq; Deum, qui lux est, & lumen ad reuelationem gentium, in templis Catholicorum aduersarij in tenebris ambulantes & palpatæ videant & cognoscant, luminaria accendunt? Reliqua taceo. Hæc enim obiiciunt, cum ipsi suis in Missis qualibuscunq; luminaria retineant, nec Lutherus reprehendat, *De Form. Miss.*

Maub. 26.  
Marc. 14.

Lib. 7. hystor.  
cap. 21.

Exod. 25.

1273. Mimicos & histrionicos esse gestus sacrificulorum in Missa. *Kemnit.* Eteidem astipulantur Iudæi, Turcæ, Tartari, & Pagani, quin stultos ob id & asinos vocant Christianos. Hinc Apostolus 1. Cor. 1. 2. 3. 4. *Nos stulti propter Christum, vos autem Sapientes, &c.*

1274. Manuum eleuationem in Missa, mimicam esse gestulationem. Sed aliter loquitur Propheta, cum ait, Psal. 141. *Eleuationum manuum mearum sacrificium vespertinum.* Et Apostolus 1. Tim. 2. Viros vult in omni loco orare, leuantes puras manus, quemadmodum & Moyses & alij fecerunt. Exod. 17. 3. Reg. 8.

1275. Eleuare in Cælum oculos, Deumq; precari in Missa, *Malach. 14.* mimicum esse gestum. Cum Christus passim, eleuatis in cælum *Marc. 7.* orarit oculis? Eius meminit B. Ambros. libr. 4. de Sacramento, *Luc. 9.* cap. 5. *Ioan. 6. 11. 17.*

1276. Inclinationem Corporis, & genuum in Missa flexionem, cæremoniam esse Pharisaicam. Cum Apostolus scribat, Philip. 2. *Vt omne genu flectatur in nomine Iesu, cælestium, terrestrium & inferorum,* & placendum est diuinis oculis, non solum spiritu mentis, sed etiam (vt ait Cypr.) habitu corporis.

1277. Eleuationem & ostensionem Eucharistiæ in Missa, cæremoniam esse idololatricam. Cum eandem Lutherus multis in loc. non repræhendat. Et mirum, cum sub, in, & cum pane Christum esse doceant, nusquam tamen talem panem ostendant vel ostendi posse doceant?

1278. Nec Christum, nec Apostolos Eucharistiam eleuasse vel ostentasse. At miror, eam quomodo tradere cuiquam poterint, nisi eam manibus tenentes, eleuantes, & ostendentes ponerent? Si ergò in Cæna eleuari potuit, & potest, in Missa cur non potest? Neq; enim de modo vel ritu ostensionis, sed de ipsa quaestio est ostensione Sacramenti, quod si extra vsum ostendi posse crederent, ostensionem eius in Missa non reprehenderent. Extra vsum verò & Esum, Sacramenti rationem consistere, alibi diximus.

1279. Fractionem & Commixtionem Eucharistiæ, quæ fit in

PP

in

Millesexcenti Errores,

*Homil. 24. in  
1. ad Corinth.* in Missa, inanem esse caeremoniam. Cum Christus eandem in Cœna fregerit, & in omnibus passim inueniatur Iyurgiis. Hinc B. Chrysoft. scribit, Christum fractionem pati in altari, quàm in cruce pati noluerit.

*Luc. 18.* 1280. Tunctionem pectoris in Missa, caeremoniam esse Papisticam & Pharisaicam. Cum propter eandem laudatus & iustificatus fuerit Publicanus, quem aspernabatur Phariseus superbus? Et eadem signum sit Pœnitentiæ & agnitionis peccatorum, quam non reperiri apud Lutheranos, scribit Erasmus ad Vulturium.

*Tit. 3.* 1281. Lotionem manuum in Missa, caeremoniam esse Iudaicam. Nescio quid aliud respondendum, quàm silotis manibus sacrificare, vel cœnare nolint, illotis id faciant, *Omnia autem (inquit Apostolus) munda sunt mundis, coinquinatis autem & infidelibus nihil est mundum, sed inquinata sunt eorum & mens & conscientia.* Minus tamen est illotis manibus atrectare, quàm illotis Sacramentum manducare conscientiis. Supr. de præparat. Sacram. vid. Dionys. de Eccles. Hierarch. cap. 5. Clem. lib. 8. con. cap. 5. Cyril. Catech. 5.

*Psal. 150.* 1282. Organa & instrumenta Musica, ex templis & conuentibus Christianorum esse remouenda. Cum nulli, nisi Christiani ea instituerint? Et Deum non solum mentibus & vocibus, sed etiam cymbalis, tympanis, choris & organis benè sonantibus laudandum esse, Propheeta velit. Eaq; apud Christianos semper in vsu fuisse, nemo est qui nesciat.

1283. Aquæ benedictionem & asperionem in Missa, ad magicas & Ethnicas pertinere superstitiones. Num ergo & aquæ quoque baptismalis, panisq; & vini, & mensæ benedictio? Nam & gentes vinum libabant, & aquis utebantur lustralibus & cibus benedicunt, qui reprehendunt?

*Psal. 141.* 1284. Thurificationem in Missa, ab Ethnicis prouenire sacrificiis. Fœtorem scilicet in templis maluit, quàm thymiamata. Cum tamen scriptum sit, *Dirigatur oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo.* Et per thurificationem, sanctorum significari orationes, ipsa testis est scriptura, Apoc. 9. & can. 4. Apost.

1285. Osculum altaris & pacis in Missa, ludicram esse cere-  
moniam. Cum tamen, vt salutemus nos mutuo in osculo pacis, <sup>1. Cor. 16.</sup>  
frequenter moneat Apostolus, Eteius in omnibus mentio fit ly- <sup>2. Cor. 13.</sup>  
turgiis. Idem Iust, in fin. 2. Apolog. Tertull. in lib. de orat. cap. <sup>1. Tess. 5.</sup>  
vlt. Cyril. catech. 5. Chrysof. homil. 77. in Ioan. <sup>1. Petr. 5.</sup>

1286. Signationem Crucis in Missa, incantationis potius,  
quàm consecrationis alicuius esse signum. Cum vel sola, omni-  
um veterum testificatione, sit antiquissima, in omnibus lytur-  
giis vsitata, qua omnia Sacramenta perficiuntur, magiæ & præ-  
stigiæ destruantur, dæmones propulsantur, veneficia soluuntur.  
Athanas. in lib. de incarnat. August. in lib. 83. qq. q. 79. & trac.  
118. in Ioan.

1287. Orationes in Missa, quas Collectas vocant, vulgari,  
non alio decantandas vel recitandas esse idiomate, vt Lutherana  
ni plerisq; in locis fastitant: At cur orationes duntaxat, & non  
reliquæ? an ea post, vel ante Missam populo, vt intelligat, quid  
Ecclesia oret, explicari non possunt? An omnes ad vnam astringi  
debent orationem orantes? & non magis pro suis quisq; pri-  
uatis orat necessitatibus? Ecclesia verò & Sacerdos pro omnibus?  
Hebr. 5.

1288. Ridiculum esse, quòd Pontificij, certis quibusdam  
anni temporibus, maximè in Quadragesima, nullum suas in  
Missas admittant Alleluia, quasi non omni tempore laudandus  
sit Deus. *Luther. loco citat.* Verum Pontificij, vti discrimen sta-  
tuunt & obseruant, inter Parasceuen & Pascha, ita quoque in-  
ter ceremonias vtriusque diei. Quid autem mirum, si tristi pas-  
sionis Christi tempore, homines carni & mundo dediti, Allelu-  
ia decantent, cum eodem super ollas carniū sedeant, hymenæ. <sup>Exod. 16.</sup>  
um decantent? nuptialia & tripudiac celebrent? crapulentur? e-  
pulentur? luxurientur? bacchentur & cachinnentur? nec quic-  
quam eorum intermittant, quæ aliis diebus vix etiam honesti  
viri fastitare consueuerunt?

De Canone Missæ.

1289. **C**anonem Missæ, non rectè dici Canonem, cum nil Canonicum, imò contrà canonicas scripturas contineat plurimà. Dictum puta: Concilia scilicet Patresq;, ac tota per Orbem Ecclesia, quid Canonicis consentaneum sit scripturis, ignorarunt? An verba Consecrationis, extra Canonem sunt scripturæ?

1292. Canonem Missæ, omnium abominationum esse abominabilissimam, in eo enim prophanari Cœnam, eneruari Sacrificium crucis, honorem Deitribui Sanctis, crucifigi Christum, triumphare Antichristum, &c. *Luth. de Abrog. Miss. & de Abominat. Miss. & alij passim.* Atqui omnia ista, pura esse vaniloquia, & inania verba, nulla veritate nixa, patet ex dictis & sequentibus.

1291. Canonem ex integro & corrupto, imò ex plurimis confarcinatum esse corruptis. *Kem. pag. 77.* Donati sunt verba, nullius Theologi, Donatus autem (si memini) ex integro & corrupto, constare ait nugigerulum.

1292. Canonem esse iudicium pannosum ex multis & diuersis confutum la ciniis, vulgo, *Ein gestickter Bettlers Mantel*. At Corpus eorum doctrinæ, totamque confessionem Augustanam, aliud non esse quàm Farraginem & congeriem omnium damnatorum dogmatum, meridiana luce clarius est. Vid. *Matheolog. Ederi, Et lib. Der lutherischen Bettlers Mantel.*

1293. Canonem à multis & diuersis auctoribus & sartoribus esse confarcinatum. Passim: An idèò approbandus, quia ab omnibus approbatus? An & Symbola fidei à multis sunt composita, ac idèò dicta Symbola? Et quidem liber ipforum, quem inscripserunt, Concordiam, an vnum aliquem, & non multos, eosdemq; inter sese discordes auctores, & (vt verbo ipforum vtar) sartores habet & confutores? Hinc versus ille vulgaris:

*Maus:*

Mäuff/Hörner/Kempeln/Seelnecker/Schmid  
del & Haffner/

Auf allen Kettern/ *composuere* Bücher.

1294. Fabulosum esse, quod Pontificij tradunt, Canonem Missæ partim à Christo, partim ab Apostolis, partim à Sanctis prouenire Patribus. Atqui Consecrationem præcipuam Canonis partem, ac etiam orationem Dominicam, à Christo prouenire & Apostolis, an negabunt?

1295. Gregorio teste, Canonem à quodam compositum esse Scholastico. *Kemnit.* At si verum est ab vno compositum esse Scholastico, falsum erit, quod aiunt, à multis & diuersis confarcatum esse auctoribus. Et Gregor. quidem de dispositione duntaxat & orationibus ipsius Canonis, id intelligit.

*Lib. 2. epist. 54.  
Lib. 9. epist. 14.*

1296. Fumos & nugasse, quod Pontificij de Antiquitate Canonis fabulantur, cum constet recens esse inuentum. *Kemm. pag. 189.* Cum ibidem fateatur, intra primos annos sexcentos post Christum fuisse absolutum, & eius auctorem circa annum vixisse 590. An recens Pontificiorum inuentum, quod ante annos mille fuit absolutum?

1297. Auctorem Canonis fuisse Gregorium circa annum 590. *Kemnit.* Cum à Scholastico quodam compositum ipso teste Gregor. paulò antè dixerit: Totus autem propemodum extet apud Innocent. Ambros. Alcuinum, Amalarium, quem utiq; non composuerunt, sed vt receptum & vsitatum in Ecclesia tradiderunt.

*Ambros. lib. 4.  
de Sac. cap. 4.  
5. 6.*

1298. Auctorem Canonis, verbosum quendam, & minimè spiritualem fuisse Scriptorem, quod idem iisdem sæpè repetat verbis, cuiusmodi sunt ista, *Hæc donâ, hæc munera, hæc sacrificia.* Item: *Pro omnibus orthodoxis atq; Catholicæ & Apostolicæ fidei cultoribus,* quæ omnia idem significant; neq; enim aliud est donum, quam munus, orthodoxus, quam Catholicæ & Apostolicæ fidei cultor. *Luth.* Sed hac ratione, etiam Christum & Apostolos ver-

Millesexcenti Errores,

bosos dixerint, & minimè spirituales. Christus etenim ter eundem orat sermonem. Et Apostolus: Omnem Pontificem habere debere scribit, *dona, munera, & sacrificia quæ offerat.* Et alibi: *Habrai sunt, & ego, Israelita sunt, & ego, Semen Abrahæ sunt, & ego.* An spiritualis, aut magis verbosus? Et Euangelista, *Et ipsi nihil horum intellexerunt, erat enim verbum istud absconditum ab oculis eorum, & non intelligebant quæ dicebantur.* Et regius Propheta in singulis ferme Psalmis, maximè verò in prolixo illo cent. dec. oct. eadem sæpè repetit, Num verbosus? num spiritualis? Denique num ipsi verbosi? qui se Catholicos? orthodoxos? Euangelicos? Apostolicos? Catholicæ & Apostolicæ fidei & religionis cultores vocant & prædicatores? cum nihil horum, Sed Lutherani sint, Calviniani, Zwingliani, Anabaptistæ, & veræ Catholicæ Apostolicæq; fidei & religionis desertores & oppugnatores?

1299. In Canone Missæ inuocari sanctos: Minimè: Nominantur enim duntaxat, non inuocantur: Inuocatur verò Deus, vt meritis & precibus Sanctorum suorum, in omnibus nos suæ protectionis munire dignetur auxilio: An hoc est inuocare Sanctos?

1300. Quamuis Oratio in Canone, non dirigatur ad ipsos Sanctos, sed ad ipsum Deum, vt nos iuuet propter Sanctos, hoc ipsum tamen aliud nõ esse, quàm inuocare sanctos, ac in sanctorum confidere meritis, sicut inuocare Deum propter Christum, ipsum est inuocare Christum: At si hoc verum est, quando ergo inuocantur Sancti propter Christum, non sanctorum, sed Christi erit inuocatio, iam verò nec aliter, nec vsquam inuocantur sancti, nisi propter Christum, propterea omnes quæ ad Sanctos dirigitur orationes, hac finali additione terminantur. *Per Dominum nostrum Iesum Christum, &c.* Deniq; An quando veteres Deum orabant & inuocabant, vt populo suo propitius esset propter Abraham, Isaac, & Iacob, ipsum inuocabant Abrahamum, Isaacum & Iacobum, atq; in ipsorum non Christi confidebant meritis? Aded quid loquantur & caillentur, nesciunt.

1301. Olim in administratione Cænæ, commemorationem fuisse

Matth. 24.  
Hebr. 5. 7.  
2. Cor. 11.  
Luc. 18.  
Psal. 118.

Exod. 32.  
Psal. 131.

fuisse factam sanctorum, propter reliquias & corpora eorū, quæ sub altaribus, in quibus administratio fiebat, recondita iacebant. *Kem. pag. 186.* An hæc apud aduersarios? qui ex celebratione Missæ, administrationem faciunt cœnæ, ex altari mensam, ex corpore panem, ex sanguine vinum & Calicem, ex inuocatione memoriam, ex reliquiis abominationem, ipsosque cum reliquiis suis terra proscribunt & cœlo Sanctos, vt iam nec sancti, nec Sanctus sanctorum, in ipsorum reperiatur templis, vel domibus?

1302. Rurs. Absque inuocatione, solam aiunt, sanctorum memoriam, in administratione Cœnæ antiquitus fuisse factam. *Kemnit. loc. cit.* Cum postquam plurima more suo, ad id demonstrandum Patrum accumulasset testimonia, tandem pag. 187. subiungit, *Nontamen nego, progressu temporis, Augustini præsertim ætate, peregrinas & otiosas opiniones (Pontificias) cœpisse memoriis martyrum affingi.* Aded videlicet verum est, Patres sensisse & docuisse, quod docent isti, vt vel ipsis testibus, tale nihil docuerint.

1303. Ridiculum esse, quod in Canone, Panis & Vinum vocentur dona & munera sancta, priusquam sunt sanctificata. Atqui longè magis ridiculum, quod ipsi eadem dona, postquam per verbum sunt sanctificata, panem vocent & vinum, quæ Christus corpus suum vocat & sanguinem: Sancta vocari possunt ante sanctificationem, quia per verbum sanctificanda, sicut Apostolus fidelium filios, sanctos vocat & mūdōs, antequam lauacro regenerationis sunt mundati, postquam verò verbum sanctificationis perceperint, quamuis panis & vinum exterius videantur & vocentur, non tamen sunt panis & vinum, sed corpus & sanguis. Itaq; dona dicuntur sancta, quia ad sanctificationem proposita.

1304. Illa verba Canonis, *Quam oblationem tu Deus in omnibus ratam, rationabilem, acceptabilemque facere digneris,* non de sacrificuli, sed de populi oblatione intelligi, Populus enim, inquit *Kemnitius pag. 194.* Panem & Vinum offerebat, ex quibus

1. Cor. 7.

Aug. Ser. 28.

de Verb. Dom.

Ambr. de iis quæ

iniciant. cap. 9.

Cyrl. Catech. 4.

## Millesexcenti Errores,

quibus partes pro Cœna consecrabantur. At populum hoc tempore dona consecranda offerre non video, qui si etiam offerret, idè offerret, vt pro ipsis offerrentur, & oblata distribuerentur, *Omnis enim Pontifex* (inquit Apostolus) *dona & munera habere debet, non quæ populus offerat, sed quæ ipse offerat pro populo.* Heb. 5. 7.

1305. Supradictis verbis, Pontificios orare pro Christo, vt eum acceptum habere velit pater, quasi patri non sit acceptus & dilectus. *Kemnit.* Cum iam iam dixerit, verba illa intelligenda esse de donis, à populo ad sanctificandum oblatis, quæ si etiam de Christo intelligerentur, de eo vt est sacrificium nostrum intelligerentur. q. d. vt acceptum habere velit filium suum dilectum, de manibus nostris, cum gratiarum actione oblatum.

1306. Supradicta verba, falsò detorqueri à Pontificiis ad actionem sacrificuli, cum de actione intelligantur cœnæ, atq; ita Augustinum intelligere & Ambros. Miror si quisquam sit, aut fuerit aliquando tam stupidus, qui actionem cœnæ petiuerit peratq; fieri corpus & sanguinem Christi?

1307. Portenta illa verborum, nec ipsum quidem, qui ea scripsit, intellexisse auctorem. *Luther. loco citat.* Cum eadem omnino legantur apud Ambros. & explicentur ab Alcuino, Amalario, Rupert. Hugon. Innoc. Bonauent. & aliis ante annos 800. Nec dissimilia habet Apostolus ad Romanos: *Obsecro vos, vt exhibeatis corpora vestra hostiam sanctam, viuentem, Deo placentem, rationabile obsequium, &c.*

1308. Blasphemiam esse in filium Dei, quòd in Canone dicitur, offerri sacrificium in redemptionem animarum. An enim (exclamant) per Christum redempti non sumus, vt redemptione indigeamus Missæ? *Luth. loc. cit.* Vana exclamatio: An enim in seipsum contumeliosus est Christus, qui loquens de extremo iudicio, ait: *Cum hæc videritis, leuate capita vestra, appropinquat enim redemptio vestra.* An nondum redempti? An in fine mundi tum demum sumus per Christum redimendi, quando iudicandi? Itaq; sicut Cœna, Ablutio, Absolutio, Iustificatio & cætera redemptionis, & redemptionis nostræ media, suo quodam modo redemp-  
tiones

Lib. 4. de Sacr.  
cap. 5.  
Rom. 12.

Luc. 23.

iones dicuntur, quoniam redemptoris & redemptionis nobis applicant meritum & precium, ita quoque Missa, quæ etiam speciali modo redemptio dici potest, propter ipsum, qui in ea offertur redemptorem, à quo solo vis omnis & efficacia sacrificij & Sacramenti.

1309. Ridiculum esse, quod in Canone dicitur, *Communicantes & memoriã venerantes, B. Mariæ, & omnium Sanctorũ, &c.* quasi quæ pro solis instituta est viuis, ipsi quoq; Cœnam participant mortui? *Luth.* Cum non de Communione Cœnæ, sed de Communione Sanctorum verba illa intelligantur? Vna est enim omnium communitio, pro quibus Christus seipsum semel obtulit, quotidie offert & offertur.

1310. Ridiculum esse, quod in Canone Pontificij orant, *Memento quæso famulorum famularumq;, &c.* quasi tam sit obliuio- sus Deus, vt eorum non meminerit, nisi in Missa à sacrificulo commonefiat & sollicitetur, ne obliuiscatur. Sed hac ratione, etiam ipsi ridiculos dixerint Prophetas, qui non solum iisdem Deum orant verbis, vt meminisse, sed etiam ne obliuisci velit, Vnde Moyses, *Recordare Domine Abraham, Isaac, & Iacob.* Et Psalmographus. *Memento Domine Dauid, Vsq; quo obliuisceris me in fine? Ne obliuiscaris pauperum.* Et Latro, dum Christus offerretur in Cruce, *Memento mei dum veneris in regnum tuum?* an fortè obliturus erat, nisi commonefactus fuisset? Et obliuisceretur pauperum, nisi ne obliuiscatur, rogaretur à pauperibus?

1311. Ridiculum esse, quod in Canone dicitur, *Memento Domine omnium, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt, &c.* Cum vnus solus sit, qui offerat, sacrificulus. Quasi verò cum vnus pro omnibus offert, non omnes, suo quodam & spirituali modo, offerant per ipsum? Non enim vnus, sed omnium, & pro omnibus est sacrificium.

1312. Per verba illa Canonis, *Pro quibus tibi offerimus, & qui tibi offerunt, &c.* euidenter conuinci, olim non ipsam Eucharistiam, sed dona tantum & eleemosynas fidelium fuisse oblatas, quas populus sacerdoti, sacerdos verò offerebat & distribuebat

QQ

paupe-

Millesexcenti Errores,

Supr. ex Aug.  
& Chrysofo.

pauperibus. *Kemnit.* Somniat Kemnitius: Dona siquidem illa non pauperibus, sed pro pauperibus offerebantur, nec solum pro pauperibus, sed etiam pro diuitibus, pro regibus, pro principibus, nec solum pro his, sed etiam pro aliis rebus & necessitatibus, nec solum pro his, sed etiam contra præstigias & infestationes dæmonum. Deniq; vt ipsa quoq; dona corpus & sanguis fiant, à Deo petitur, quod de eleemosynis & oblationibus populi, intelligi non potest.

Psalm 26.

1313. In ipso Canone, Sacrificiū Missæ vocari, Sacrificium laudis. Ex quo colligi vult *Kem.* apud veteres aliud non fuisse Sacrificium, quàm spirituale, quod cum laude & gratiarum actione celebrabatur. Quasi non offeratur, quod cum laude & gratiarum actione offertur? An quia Psalmista, hostiam vocat vociferationis Sacrificium, aliud non fuisse dicemus, quàm vociferationis? Dicitur ergò Missa, sacrificium laudis, & gratiarum actionis, quia in eo laudes Deo referuntur & gratia, eam maximè ob causam, quòd se ipsum obtulerit, & quotidie adhuc offerat, & offeratur pro nobis.

1314. Pontificios, sacrificium publicæ laudis & gratiarum actionis, in silentiarium murmur conuertisse. *Kem.* An ergo Kemnitio placet Missa clamorosa, quæ ab vna ad alteram audiatur Ciuitatis portam? An publicæ nullæ sunt Missæ? An magis clara, quàm submissa voce probant Missas? Supr.

1315. Pontificios sacrificium Eucharisticum, mimicum facere & theatricū spectaculum. Sæpè: Nisi enim ipsi impij essent, laudes & gratiarum actiones, aliasq; cum pietate & religione coniunctas preces & cæremonias, mimicas esse actiones haud dicerent.

1316. Verba illa Canonis, quibus dicitur, *Offerri pro iis, qui reddunt vota sua aeterno Deo et vero,* per quæ gratiarum intelliguntur actiones pro beneficiis, Pontificios detorquere & transferre ad Missas votiuas, quæ data acceptaq; pecunia emuntur & venduntur. *Kemn.* Nugæ & calumniæ. Cum per vota illa fidelium, aliud non intelligant, quàm desideria? Atq; Missæ Votiuæ ab iis quoque

quoque celebrentur quotidie, qui pecunias nec acceperunt aliquando, nec accipiunt.

1317. Ex verbis illis Canonis, *Memoriam venerantes beatorum Apostolorum & Martyrum*, colligi, olim non nuda (vt fit modò) nomina, sed res quoque gestas martyrum, idq; non sub silentio, sed elata voce, vt ab omnib<sup>9</sup> audiri possent & intelligi, fuisse recitatas. *Kemnit.* At qui tale quidpiam ex verbis illis colligere ego minimè possum, sed neq; in antiquissimis quibusuis lyurgiis, res gesta, sed sola & nuda leguntur nomina, vt mirari satis non possum, quas inanes quærant calumnias & cauillationes aduersarij.

1318. Verba illa Canonis, *Hostiam puram, hostiam sanctam, hostiam immaculatam*, inanem esse & superfluam verbositatè, *Luth. loc. cit.* An (vt sup.) magis ipsi inanes, qui se purum, putum, sanctum, immaculatum, incorruptum & syncerum Verbum Dei & Euangelium docere, toties iisdem repetunt verbis, cum nec certum Scripturarum habeant Canonem, nec certam versionem, nec certam interpretationem? eamq; vel maximè ob causam in Concilium Trid. & omnes inuehuntur Pontificios, quod certum esse velint & definiant sacrorum librorum Canonem, certam translationem, certam interpretationem? Alioquin verba illa Canonis, ex Apostolorum & Prophetarum scriptis deprompta sunt omnia. Rom. 12.

1319. Pontificios, quando orant in Canone, *Vt dona & sacrificia sua sereno ac propitio vultu Deus respicere dignetur*, Orare pro Christo, seq; mediatores constituere inter Deum & Christum. *Luth. loc. cit.* An ergo sacerdotes veteris testamenti, quando orabant, vt sacrificia eorum, Oues & boues, Deus accepta haberet, ac sereno propitioq; vultu respiceret, pro ouibus orabant & bouibus? seq; ipsos mediatores inter Deum, & Oues atq; Boues constituebant? An non inanes cauillationes? Eadè verò verba habentur apud Ambr. loc. cit. Nec aliud sonant, quàm quod Deus dona illa, vt à nobis ad honorem ipsius offeruntur, accepta habere, & nobis propter dilectum filium suum, qui semetipsum nobis in sacrificium dedit & cibum, propensus & propitius esse velit.

Millesexcenti Errores,

1320. Irrationabile & futile sacrificium Pontificiorum, ex ipso eorum demonstrari Canone, in quo petunt à Deo, vt dona eorum consecrata, velit accepta habere, sicut bruta animalia, & egena elementa Abel, Abraham, Melchisedech, quasi non magis Deo acceptus sit, & esse debeat filius, quàm panis & pecus? Quasi comparatio quælibet & similitudo, dissimilitudinem habere nullam debeat? Verbis verò illis magis petitur, vt qui offerunt, sint accepti, quàm quæ offeruntur, quæ vel ex sese sunt accepta, vel acceptiora, vel omninò non accepta, si ab acceptis vel inacceptis offerantur, quia autem peccatores sunt qui offerunt, ac propter peccata eorum indigni & inaccepti, ideò rogant, vt munus eorum & sacrificium, quod est filius, acceptum & propter ipsum, ipsos quoq; habere velit acceptos.

1321. Ridiculum esse, quod Pontificij in Canone à Deo petunt, vt sacrificium ipsorum per manus angelorum deferatur in sublime altare, nullo existente in cælo altari. *Luth.* Cum in Apocalypsi cap. 6. 8. 9. legatur, aureum esse in cælo altare? Item thuribulum & incensum? Ad illud ergò cæleste & spirituale altare sua perferri orant sacrificia, ad quod, per manus, & ministerium angelorum, hominum perferuntur preces & eleemosynæ, Apoc. 5. Tob. 12.

1322. Ridiculum esse, quod Pontificij in Canone petunt, sacrificium in sublime perferri, cum ipsum cupiant paulò post, manducare & consumere: At nã magis ridiculi ipsi? qui cum Christi corpus doceant esse vbiq;, ipsum tamen manducare velint ore? an non est in ore, quod est vbiq;? Verbis autem illis magis preces & desideria, operaq; nostra per angelos Deo offerri & commendari postulamus. Tob. 12.

1323. Absonum esse, quod Pontificij Christum in sublime cupiant per angelos perferri, cum cælum nec deseruerit aliquando, nec deserat, proinde petendum potius illis, vt à sublimi ad ipsum per manus angelorum perferatur humile altare. Cum & hoc petant & illud, suo enim modo & descendit & ascendit, qui cælum nunquam deserit, iuxta illud: *Nemo ascendit in cælum, nisi qui*

Ioan. 3.

qui descendit, filius hominis, qui est in caelo. Suo ergo quodam modo in caelo, & suo modo Christus est in Sacramento, hic & illic vere, nullo tamen modo ubiq;.

Vide cap. V. *Primum*  
sub. de Consecr.  
d. 2.

1324. Ex verbis illis Canonis, *Quotquot ex hac altaris participatione sumpserimus, &c.* manifestè colligi, Missam non debere celebrari sine communicantibus, alioquin stultum fore sacrificium, quòd de multis verba illa pronunciet, cum ipse solus sit, qui communicet. *Luther.* At nã stolidus ipse? Cum verba illa nec de vno, nec de multis, sed in genere intelligantur, vt quotquot sumpserint, siue vnus sit qui sumat, siue mille, ad vitam proficiat æternam.

1325. Apertum esse mendacium, quod in Canone dicitur, Melchisedech sacrificium obtulisse. *Luth.* Atqui obtulisse, omnes constanter asserunt Patres: Num mentiuntur omnes? Sup.

1326. Stolidos esse Pontificios, quòd defunctis, in Canone refrigerium exoptent lucis & pacis. Cum id ipsum non solum suis extra fidem & Ecclesiam Catholicam exoptent defunctis ipsi, sed etiam eorum inscribant epitaphiis & tumulis?

1327. Orationem, quæ fit in Canone pro defunctis, veteribus fuisse ignotam & inutilitatem. *Kemnitius, in cuius rei testimonium, adducit Dionysium.* Atqui hæc sunt verba Dionysij. *Accedens venerandus Antistes, precem sacram super mortuum peragit, postquam precem & ipse præ suleum salutatur, & suo deinceps ordine qui astant omnes, precatur autem Oratio illa, diuinam clementiam, vt cuncta dimittat per infirmitatem admissa peccata defuncto, eumq; in luce statuatur, & regione viuorum.* Annon egregiè suam probauit Kemnitius contra Pontificios sententiam?

De Eccl. Hic.  
narc. c. 7. par. 3.

1328. Horrendum esse, quod dicitur in Canone, *Fiat commixtio corporis & sanguinis Domini, &c.* quando quidem corpus & sanguis ab inuicem separari & commisceri, sine occisione Christi non possint. *Luther.* Cum specierum nomine ea dicantur duntaxat: Horrendum verò & blasphemum est, quod docent ipsi, nullum sub vna specie contineri vel laicis ministrari sanguinem? An sanguinem non separant à corpore? Supr.

QQ 3

1329.

## Millesexcenti Errores,

*In cap. Cum om̄* 1329. Commixtionem specierum, quam fieri iubet Canon, *us de Consec. d. 2.* non solum non reperiri in antiquis Patribus, sed ipsum etiam prohibere Iulium Papam. *Kemnit.* Atqui in omnibus extare lyturgiis antiquissimis, atq; in ipso ordine Rom. Alcuin. *Amar. cap. 8.* lar. Microlog. intuenti patet. Iulius verò, non istam, sed aliam quandam damnat commixtionem, quam quidam faciebant in distributione Eucharistiæ, quam etiam damnat Micrologus cap. 19. & Concil. Bracar. I I I. can. 1. Mixtionis verò specierum nec mentionem quidem facit.

1330. Omnia illa, quæ in Canone Iuris sunt diuini, Pontificios liberè negligere, mutare, abolere & sepelire, pro humanis verò ritibus & cæremoniis retinendis, ferro flammaq; pugnare. *Kemnit. pag. 196.* Calumniæ: Nihil enim, quod iuris est diuini negligitur, vel sepelitur, sed seruatur & præcipitur: quæ verò iuris sunt humani, suo seruantur & retinentur loco & ordine, ne enim à Maiorum laudabili traditione & consuetudine discedamus, ipsa passim monet & iubet scriptura. 2. Theff. 2. Pro. 22. 2. Machab. 7.

*Luth. de Abrog. Miss.*

1331. Quicquid tandem dicant & replicent Pontificij, Missam non esse aliud, quàm Caudam & Caput Diaboli, & inuentum Antichristi, &c. Ita putà, quia Lutherus dixit, qui ipso suo fore & auctore Diabolo Missam abrogauit; quam utique non abrogasset, si Caput suum vel Cauda fuisset? An enim suum sibi amputat Caput vel Caudam Diabolus?

---

## DE SACRAMENTO Pœnitentiæ.

*Ex Kemn. in 2. part. Examin. d pag. 205. Matth. 25.*

1332. **M**Ultam Pontificios prædicare, præstare nullam pœnitentiam; *Passim omnes.* An ergò non solum malè viuendum, sed etiam malè docendum? quæ docent,